REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITA' DI TORINO
G. X. 14

R. XII 295

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BERNARDI ANDREÆ
LAMÆ
NEAPOLITANI,
ELOQUENTIÆ PROFESSORIS
In Academia Taurinenſi,

ORATIONES.

AUGUSTÆ TAURINORUM,

Typis Joannis Radix, ſub ſigno Angeli Cuſtodis. *Superiorum permiſſu.*

Google

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

Digitized by Google

SERENISSIMO

PRINCIPI EUGENIO DE SABAUDIA,

è Sueſſionenſium Comitum Familia,

MAGNI EUGENII PRINCIPIS PRONEPOTI.

P. JOSEPHUS ROMA Ord. Minim.

SÆpe mecum animo reputavi, SERENISSIME PRINCEPS, quod Tibi pignus amoris & obſervantiæ, tuæ congruens voluntati, optimarum rerum cupidiſſimè appetenti, relinquere poſſim, antequam ad Comitia mei Ordinis generalia proficiſcar, & excitatam ubique gentium opinionem de Tuâ tam præclarâ indole, tamque ductu & arbitrio SAPIENTISSIMI REGIS excultâ nobilioribus diſciplinis, in ea quam peragrabo Italiæ parte, cumulatiſſimâ virtutum, quibus excellis, prædicatione confirmem.

Te quidem omnes illis artibus mirificè delectari conſpiciunt, quæ nativis gloriæ ſtimulis ingentes ad-

dunt animos, Tuumque in ſole ac pulvere pectus obfirmant ad duriores olim Martis labores infractâ patientiâ ſuſtinendos. Ecquis enim unquam equitando, venando, feram certo ictu figendo, arma quæque tractando ſollertior hâc ætate tam tenella tredecim annorum, animoſiorque fuit? Qui certè nobiles, ac ſæpe in medio tubarum clangore, & equitum agmine geſtientes impetus, cum admirabili, quæ rapit oculos, formæ dignitate, ac pulchritudine conjuncti, univerſæ jam nunc Europæ portendunt aliquando futurum, ut in Te bellica Scipionum, ac Cæſarum virtus, & quæ una omnium laudes Heroum antecellit, Avunculi Tui MAGNI PRINCIPIS EUGENII gloria reſtoreſcat.

Verùm, quæ dos altera Principum tui Sanguinis immortalibus conſignata monumentis ſemper emicuit, haud ſanè minori duceris amore pietatis, & litterarum. Accurata enim Catholicæ Religionis, quam impensè colis, & quâ dudum imbutus es, ſcientias Hiſtoriæ cùm ſacræ, tùm profanæ per varias Mundi ætates, & Regnorum vices digeſtæ cognitio; aſſiduus & alacer quem impendis labor in addiſcenda Geometria, Geographia, Architectura militari, & elegantiori Philoſophia; illiuſque in primis parte quæ mentem in judicatione veritatis regit, civilem prudentiam docet, & mores ad omnem vitæ honeſtatem informat; quotidiana demum, ac ſponte ſuſcepta Cæſaris, & Tullii, quos ferè nunquam è manu dimittis, & cultiſſimorum Poëtarum commentatio, quorum inſtitutis, ac ſententiis Tibi inſitum à natura judicii robur, & ingenii acumen eximiè perficitur, mirumque in modum

dum

dum omni occaſione ſplendeſcit, Te quoque libenter in ſinu Palladis adoleſcere, tuumque animum ſuaviſſima Muſarum conſuetudine teneri, vehementerque affici declarant.

Quod ipſum ego plurium annorum experientiâ quum probè cognitum & exploratum habeam, non amplius dubitare debeo, quin Tibi, CELSISSIME PRINCEPS, litterarium munus æquiſſimâ jam antè hominum exiſtimatione commendatum, ex iis eligam, quibus Academia noſtra Taurinenſis abundat, meas qualeſcumque ſuo tempore lucubrationes, quæ Tuæ Celſitudinis uſui plerumque cedunt, ſi res ipſa, valetudoque ſinant, in fidem tuam firmiſſimamque tutelam traditurus.

Quâ itaque comitate, & animi magnitudine, Te Principe dignâ, ſoles adeuntibus eſſe facilis & benignus, haſce Orationes humaniter excipe, ne damno publico, politiorumque artium injuriâ diutiùs laterent, à me ſub tuo fauſtiſſimo nomine vulgatas, ab eoque habitas Auctore, cui neminem hîc omninò, quem ego noverim, invenire liceat eloquentiæ laude, & inexhauſtâ reconditæ eruditionis varietate, ac memoriâ æqualem: quo in judicio neque me fallere dulcis amicitiæ jucunditatem, neque Romæ pridem initam cum Cl. Profeſſore officiorum conjunctionem, ex Hiſtoria Sabaudiæ *Gallico jam idiomate ad exitum propè perducta; ex latino* Poëmate Philoſophico *ſeptem libris comprehenſo, quo nihil unquam in eo doctrinæ genere tam omnibus expletum numeris priſca tulit ætas; ex aliis denique præclariſſimis, ſi, ut ſpero, conſequantur, operibus, omnes*

intel-

intelligent, & ipſe Tu, Perſpicaciſſime PRINCEPS, ex his facilè ornatiſſimis Orationibus videbis; quas eò gratiori perleges voluptate, quòd, quæ Tibi ſemper ad imitandum propoſita ſunt, illuſtria pace belloque VICTORII AMEDEI REGIS poſt hominum memoriam glorioſiſſimi conſilia, facinora, virtutem omnibus inſanientis fortunæ luſibus majorem, tantâ dicendi copiâ, & gravitate proſequantur, quantam incredibilis ipſius, ac pæne divina geſtorum claritas, atque præſtantia flagitabant.

Quid verò Tibi mitiſſimos referam CAROLI EMMANUELIS Subalpinorum Principis mores, ad bene de omnibus merendum naturâ factos, optimi Parentis diſciplinâ, & frequenti magnarum rerum uſu ad Religionem tuendam, litteras juvandas, & imperium domi, militiæque feliciter adminiſtrandum comparatos? quos quum pari ſermonis elegantiâ, & dignitate, ſingulari expreſſos Oratione perſpexeris, maxima procul dubio triumphabis lætitia, novoque tuum animum ardore incitabis, ut quò Te Sabaudæ ſtirpis honos, & fata vocant, alacriori celeritate contendas.

Macte igitur tantâ virtute, LECTISSIME PRINCEPS: his exemplis, & ominibus tutò properabis ad gloriam, ſpes omnium, & vota cumulabis, totique palam Orbi, ac remotiſſimæ etiam poſteritati oſtendes, irritum non fuiſſe paternum, ac vigilem Clementiſſimi REGIS amorem in Tua jam inde à puero ſuſcipienda, graviſſimiſque præceptionibus & inſtitutis perficienda educatione; cujus uberrimum ex eo ſanè fructum meritò quiſque poteſt augurari, quòd

Gu-

* *Gubernatorem nactus ſis inclyti generis nobilitate, cultu probitatis & doctrinæ, longâque armorum conſuetudine, & famâ Clariſſimum; cum quo me ſimul in aliquam laboris & inſtitutionis tuæ partem arceſſitum eſſe, tam illuſtre mihi, & glorioſum videtur; ut hanc honorificentiſſimæ ſortis felicitatem, tot antea vitæ commodis & ornamentis Regia in me bonitate liberaliſſimè congeſtis accedere potuiſſe, ne vel leviter etiam apud me ſuſpicando cogitaſſem: pro qua certè munificentia, tametſi ſtrenuè naviterque conaturus ſum, nullo tamen obſequio me ſatis unquam fore gratum, quantum quidem ego vellem, agnoſco.*

Tu interim vale, Principum decus, Aulæ flos & gratia, ſpeſque altera Germaniæ; & donec ad altiora tecum ſtudia, quæ tam propitio Numine cæpiſti, perſequenda revertar, hoc Opuſculo fruere, meque ſemper, ut facis, ama.

* Marchion. de Cavatour.

INDEX ORATIONUM.

Oratio I. *IN ſollemni Taurinenſis Academiæ inſtauratione.* pag. 1

Orat. II. *De Oratoriæ facultatis præſtantia, ac utilitate.* pag. 29

Orat. III. *Habita die natali Victorii Amedei II. Sardiniæ Regis.* pag. 49

Orat. IV. *In nuptiis Caroli Emmanuelis Subalpinorum Principis cum Ludovica Chriſtina è Sulbacenſium Comitum Palatinorum familia.* pag. 66

Orat. V. *De Scientiæ jucunditate.* pag. 86

Orat. VI. *De Humaniorum Litterarum neceſſitate.* pag. 103.

Orat. VII. *De Humaniorum Litterarum utilitate.* pag. 123.

Orat. VIII. *De progreſſu Taurinenſis Academiæ* pag. 136.

Orat. IX. *De recto Studiorum ordine.* pag. 147

ERRATA.

Pag. 2. *lin.* 6. *à fine*	minimè	*corrige*	neutiquam
lin. 4. *à fine*	debeant	*corr.*	deberent.
Pag. 10. *lin.* 2.	mi itatem	*corr.*	militarem
Pag. 101. *lin.* 17.	Phyſiologiæ	*corr.*	Phyſiologicæ
lin. 20.	anſim	*corr.*	auſim

pag. 20. *lin.* 10. infinita *corr.* infinitæ
pag. 32. *lin.* 11. iſta *corr.* iſtæ
pag. 38. *lin.* 2. conſervaverunt *corr.* conſecraverunt
pag. 40. *lin.* 11. *à fin.* flecteret *corr.* flecterent
pag. 54. *lin.* 15. zepetens *corr.* repetens
pag. 55. *lin.* 5. Sabaudiæ *corr.* Sabaudæ
pag. 84. *lin.* 7. autores *corr.* auctores
pag. 89. *li.* 20. ſeipſam, Colligere *corr.* ſeipſam colligere
pag. 90. *lin. penult.* deficiunt *corr.* deficient
pag. 94. *lin.* 9. inſanite *corr.* inſanire
pag. 102. *lin.* 9. queant *corr.* queunt
pag. 105. *lin.* 13. alirer *corr.* aliter
pag. 109. *lin.* 6. *à fin.* ſerat *corr.* ferat
pag. 111. *lin.* 9. inellegans *corr.* inelegans
pag. 134. *lin.* 8. prætium *corr.* pretium
pag. 144. *lin.* 3. deſparatio *corr.* deſperatio
pag. 146. *lin.* 11. præſtanria *corr.* præſtantia
pag. 154. *lin.* 10. *à fin.* e tribus conſtitutas &c. *corr.* è tribus enunciationibus ſyllegiſmum efficientibus conſtitutas
pag. 154. *lin penult.* doctina *corr.* doctrina

Alia quoque fortaſſis errata exciderunt, quæ benignus Lector condonabit.

Digitized by Google

IN SOLLEMNI
TAURINENSIS ACADEMIÆ INSTAURATIONE.
ORATIO.

Habita XV. Kal. Decemb. An. M. DCC. XX. in Aula Taurinenſis Lycei.

SI quid unquam vobis, A.O. ſapienter optandum ab immortali Numine, ac ſummopere expetendum fuit, quod parta jampridem tot belli paciſque decora impenſius augere atque ornare poſſet, id vobis hodierna dies cumulatiſſimè præſtat eximiâ quadam Clementiſſimi Regis munificentiâ; cujus conſilia cogitationeſque omnes non ſine inſtinctu, afflatuque divino ad ſervandam juvandamque Rempublicam ſemper intentæ, felices tandem exitus habuerunt. Hac enim ſollemni, & celeberrima Taurinenſis Academiæ inſtauratione, quæ tantam olim nominis claritatem apud exteras nationes obtinuit, & diuturni veſtri deſiderij expectationem prorſus explevit, & florentiſſimæ huius Civitatis, univerſæque gentis gloriam,

ac fortunas amplificavit. Quum autem id pleriſque omnibus perſpectum, planeque cognitum videatur, haudquaquam longiorem ea res orationem deſideraverit; nec ſanè multum verbor ne quis veſtrûm in eam fuerit ſententiam abreptus, ut tam præclarum facinus, tam regium, tam liberale, aut infructuoſum, vel ſupervacaneum eſſe credat, aut minus hominum opinioni pro tàm operoſę molitionis magnitudine reſponſurum. Verumtamen non abs re me facturum cenſui, ſi vel tenuem ejuſmodi ſuſpicionem fortaſſe latenter diſſeminatam, & in imprudentium animos illapſam, quantâ maximâ poſſem dicendi contentione diluerem, atque infirmarem; ne tam pernicioſus error incautis objectus adoleſcentibus incitatos ſatis ipſorum animos ad capeſſenda ardentius litterarum ſtudia remoretur, neve effuſam omnium Ordinum lætitiam, ac bonorum gaudium interpellet. Per enim magni intereſſe arbitratus ſum, quam quiſque alacritatem, quam diligentiam, quam voluntatis propenſionem afferat ad hæc initia diſciplinarum, ut ampliſſimum laboris ſui fructum adipiſcatur: tum verò minimè patiendum videbatur ullâ ex parte communem ſenſum jucunditatis imminui, quum maximam omnes capere debeant ob liberales artes atque doctrinas in hoc ſplendidiſſimum Athenæum quaſi poſtliminio revocatas; Quippe quod quum Taurinenſis

ſis nunc Academia priſtinam dignitatem, atque amplitudinem recuperarit, longe uberior optimis civibus gaudij ſeges videtur oborta, quam quum primùm fauſtis ominibus Principum noſtrorum conſilio, & liberalitate eſt conſtituta. Quemadmodum enim, ut fieri aſſolet, tum demum quibus bonis frueremur, apertè intelligimus, quum eadem vel penitus amiſſa, vel propemodum è manibus elapſa ſunt; ità receptis iis, quorum amiſſio intolerabilem nobis dolorem ac ſui deſiderium incutere ſolet, incredibilem prorſus voluptatem novâ quadam, & mirâ oblectatione percipimus: nimirum quòd antea aſſiduitate quotidianâ, & perpetuâ conſuetudine admodum vilia, & pervagata videbantur, nec vehementem ullum ſuavitatis ſuæ, ac dulcedinis ſenſum commovebant. Verum enim verò profligata morbis valetudine, aut in vitæ diſcrimen adducti, ſi quando caſus aliquis nos recrearit, & perditas vires confirmarit, majorem in modum lætitia efferimur, & gaudio triumphamus, quàm quum primùm hanc lucis uſuram nos accepiſſe cognovimus: non aliter ac Nautis nunquam optabilior terra videtur, quàm quum fędiſſimis in alto tempeſtatibus jactati de ſalute penitus deſperarint. Quamobrem maximopere vobis omnibus, Auditores, meritò ac jure lętandum eſt in hac præſtantioris renovatione doctrinæ; undè quamplurimæ vobis, ac pœne mirabiles, ut

antea, utilitates redundabunt, ſi re quidem verâ ſingulari hoc munificentiſſimi Regis beneficio uti volueritis; quo uno medius fidius mihi videtur ille omnia à ſe ante hanc diem duobus graviſſimis bellis ſapiẽtiſſimè proviſa, & adminiſtrata, ac fortiſſimè geſta, laude omni cumulaſſe. De huius enim beneficij præſtantiâ quàm breviſſimè potero dicturus ſum; neque vos [quæ veſtra eſt humanitas, atque ſapientia) aliam in partem, aliove animo quæ dicenda ſunt accepturos confido, quàm quo hæc à me perorabuntur, qui veſtri ſtudio ac benevolentia inductus, non modo haud gravatè, verum etiam perlibenter in hoc ſtadium ingreſſus ſum, ut ſi minus poſſem, quâ par foret copiâ, atque ornatu dicendi partes implere, animo certè erga vos meo facerem ſatis. Sic enim exiſtimetis velim, Auditores, me poſtquam in ampliſſimum iſtud tot doctiſſimorum hominum Collegium nullo quidem meo merito ſum cooptatus, ut impoſitum mihi docendi munus ſuſtinerem, ita mea conſilia, meæque vitæ rationes inſtituiſſe, ut huic novæ patriæ me totum dedere oportere, in hac fortunas omnes meas, meaque ſtudia, atque operam ponendam, & quaſi conſecrandam judicarim; quippe quam non caſu, non temerè, non naturali neceſſitate, ſed voluntario delectu, meditatoque conſilio comparatam ardentiſſimo amore complecterer; quum & hujus Soli caritas crebreſcente in dies con-

ſue-

ſuetudine, & incolarum facilitas, atque honeſtas jucundiſſimâ quadam morum comitate ſibi me arctiſſimè devinxiſſent. Neque hæc mea ſolùm, ſed cæterorum quoque ſententia eſt, qui ad tradendas bonarum artium diſciplinas in hanc Urbem evocati ad ea, quæ vobis decori atque emolumento futura ſunt, omnibus viribus opibuſque contendent. Enim vero, ut jam aggrediar ad dicendum, quanta fuerit hujuſmodi inſtaurationis neceſſitas, quantaque inde utilitas, & gloria obventura ſit, quod jam ſuperius commemoravi, diligenter exponam; modò vos orationem meam attentis animis, & quâ par eſt benignitate excipiatis.

Et ſanè quæ primum cauſſa Regis noſtri Majores impulit, ut in hac urbe Academiam à fundamentis excitarent, optimarum artium Doctoribus inſtruerent, annuo cenſu locupletarent, omni ope ac ſtudio foverent vel inter arma, & bellicos tumultus, quibus hæc regio ſæpè quaſſata eſt, eadem hercle (quæ niſi maxima, & juſtiſſima eſſe non poteſt) Victorium Amedeum, cujus nomini pro dignitate ſatis honos haberi nequit; eadem, inquam, cauſſa ſapientiſſimum Regem adduxit, ut veteris inſtituti conſuetudinem per turbulentiſſimos bellorum fluctus tempeſtateſque ſublatam, partâ jam pace rebuſque compoſitis revocaret, & in priſtinum ſplendorem reſtitueret. Perſpiciebat enim Rex prudentiſſimus

mus ſine politioris humanitatis luce mancam fore atque imperfectam populorum ſuorum felicitatem, quorum cæterum commodis vigilantiſſimè proſpexiſſet: quapropter hęc quoque illis adjungenda duxit ſubſidia doctrinarum, quæ à cęteris gentibus ad eundem finem, magnoque cum fructu arceſſita videret. Quandoquidem è præclara ſingulorum civium inſtitutione communis utilitas effloreſcit, omniumque animi, & virtutis, & ſcientiæ cupiditate inflammantur. Quàmvis itaque plurimis Regni negotiis occupationibuſque diſtentus, abiecta omni cunctatione iſtius quoque muneris ſuſcipiendã ſibi curationem putavit, ut novas, atque elegantiſſimas ædes, diſciplinarum omnium domicilium extrueret; undique Viros omni doctrinâ, & virtute ornatisſimos aſſidua conquiſitione colligeret; ſumptus in eam rem largè liberaliterque ſuppeditaret; optimas leges, & ſtatuta condi curaret, quibus hæc Academia in poſterum regeretur. Ac tandem aliquando bene juvantibus ſuperis tantam rem, tamque diu votis omnibus concupitam ad optatos exitus perduxit. At hercle ſuſpicandi nullus eſt locus, id eum fuiſſe unquam tam conſtanter, tantoque ſtudio, & conatu aggreſſurum, niſi magna quæpiam, & neceſſaria, & vehemens cauſſa illius animum permoviſſet. Quî enim fieri poteſt, ſi nempe ex ante factis, & cæterâ ipſius perſpicaciâ rem judicemus, ut Princeps tam conſideratus, &
pro-

providus, qui nihil niſi conſultò cogitatèque ſuſcipiat, fruſtra ac temerè hæc omnia providerit, maturarit, effecerit? Incaſſumne tot labores, tot ſollicitudines, tot impenſas prolixo libentique animo ſubierit, exhauſerit, tolerarit? At quis demum, Auditores? Rex videlicet cujus ingenij magnitudinem, cujus prudentiam pene divinam, cujus mirabilem agendi cogitandique ſollertiam nemo eſt qui neſciat, nemo eſt qui non ſentiat, nemo eſt qui non admiretur? Qui ſe incredibili cum felicitate, quamquam impar foret copiarum numero, & magnis exercitibus undique circumſeſſus, duobus periculoſiſſimis bellis explicarit, quòd ſingulari providentiâ, & conſilij celeritate ita cuncta proſpexit, ac moderatus eſt, ut hoſtium impetus frangeret, audaciam cohiberet, imminentemque patriæ calamitatem in eos ipſos averteret; in hoc uno (ſi Diis placet) tam præter morem ſuum, tam præter ingenium aberrarit? Qui res maximas, & difficillimas propter obſcuritatem eventuū, ignorationemque cauſſarum, in quibus caſus, & temeritas plurimum valent, acerrimâ cogitatione, & mentis acie perſpexerit, exquiſitoque judicio rexerit, & gubernarit; in re tam apertâ & perſpicuâ, omniumque oculis propoſitâ in errorem adductus fuerit, &ad irritum prorſus tantum pecuniæ, operæ, laboris effuderit? At quiſnam hoc ſibi unquam perſuadere poſſit, aut civium, aut exterorum? Nam-

que vos, ò Cives, domeſtici teſtes eſtis, & ſpectatores eximiæ illius in rebus pervidendis gerendiſque ſagacitatis. Exteri verò hanc ipſam vel armis laceſſiti ſæpius experti ſunt, vel celebratam communi omnium famâ, quæ ad remotiſſimas regiones permanavit, cognoverunt, & verbis honorificentiſſimis collaudarunt. Verum (quod humanitus evenire ſolet) ſi quis error in celerem, & fortuitam, & unius hominis deliberationem cadere poſſit, quî tamen in diuturnam, & æquabilem, & conſtantem? non modo plurium annorum uſu & experientiâ, ſed multorum etiam, & ſollertiſſimorum virorum conſiliis ac teſtimoniis confirmatam? Num quid igitur cauſſæ eſt, Auditores, quin judicemus eos, ſi qui fortaſſe reperiantur, qui rem tam inauditam, tam ab omni ratione alienam affirmare animum induxerint, in turpiſſima rerum omnium ignoratione verſari?

At quid porro, inquies, tantâ molitione, tot ſumptibus opus erat? quum ingenuæ diſciplinæ haud unquam fuerint intermortuæ, clarique homines in hac urbe florerent in ſtudiis artium liberalium apprimè verſati, quorum luminibus, atque ornamentis collucet adhuc, & ſplendet hæc Civitas? Sed tamen difficillimè ante hanc diem omnium magnarum rerum ſcientiam conſequi poterant adoleſcentes. Ubi enim Græcæ litteræ tradebantur ad humaniora ſtudia, ubi Hebraicæ ad ſacrorum

libro-

Librorũ interpretationem, ubi Matheſeos explanatio ad Phyſiologiam, ubi Chriſtianæ antiquitatis hiſtoria ad Ius Pontificium, & Theologiam accuratius pertractandam neceſſaria? Ac licet nunquam defuerint ſcientiſſimi optimarum artium magiſtri, tamen aut nimia ipſorum paucitas ob atrociſſimorum bellorum calamitates, aut privata doctrinæ profeſſio prorſus effecerat, ut nequaquam omnibus pariter operam navare poſſent, neque adeo pervulgatus foret politiorum diſciplinarum cultus, ut ad communem fructum, & utilitatem redundaret. Quid autem futurum erat clariſſimis Viris, aut fato abſumptis, aut caſu aliquo diſſipatis, qui ſecum omnem humanitatis ornatum, atque elegantiam abſtuliſſent? An non paranda erant juventuti publica induſtriæ ſubſidia, atque adjumenta doctrinæ? ut pulcherrimarum rerum cognitio manaret in vulgus, ut quædam veluti doctorum hominum ſoboles propagaretur, ut nequa communium temporum inclinatio tantam Reipublicæ lucem poſſet extinguere. Quid? quod excitanda erat novis præceptionibus adoleſcentûm ſegnities, acuendaque præmiis ipſorũ ingenia, ne luxu otioque torpeſcerent. Hæc quippe exitiabilis eſt litterarum peſtis, quæ facillime irrepit in mentes hominum, ægerrimeque depellitur; adeo diligenter huic malo, ſtudioſeque repugnandum eſt. Quantus enim antehac Italici nominis ſplendor exte-

exteris gentibus luxit! quæ à noſtris hominibus, & civilem, & militatem ſcientiam, denique ipſam humanitatem ſemper hauſerunt. Quanta iſtius Athenæi claritas ac magnificentia? quæ plurimos olim ad ſeſe ab ultimis terrarum oris docendi, diſcendique cauſſa pertraxit, quos quidem in re litterariâ primas tuliſſe compertum eſt. At nunc, proh dolor! in pleriſque Italiæ regionibus ſeu virtutis incuriâ, ſive inopiâ conſilij, ſeu præmiorum raritate, quibus accenduntur juventutis animi, aut ſtudiorum laborem planè defugiunt, aut ijs tantummodò contenti ſunt, quæ neque omnes in ſe continent doctrinæ numeros, nec præſtantiorem ſibi viam muniunt illius adipiſcendæ. Nec verò id ſapientiſſimo Regi diutius negligendum videbatur, quippè qui nihil ſibi præclarum, ſuiſque omnibus expletum partibus omittendum cenſet ad patriæ, reique publicę utilitatem, cujus ipſe & Pater, & Princeps, & Moderator eſt, cujuſque proinde rationibus nemo diligentius conſulere, ac proſpicere poteſt. Nam cæco prorſus, & impotenti Patriæ amore non flagrare, ſed inſanire dicendi ſunt, qui non ejus incommoda, egeſtates, inopiam magnarum & utilium rerum vident; aut ſi forte viderint, diſſimulare potius, vel in laude ponere quàm levare ſtudent; quos ego mehercules haudquaquam Cives, ſed ne mentis quidem compotes exiſtimarim: quandoquidem verus in pa-

triam amor, incorrupto ſemper judicio moderandus, in ea modis omnibus adjuvanda, & fovenda, ejuſque cōmodis amplificandis poſitus eſt, non in verboſa quadam, & inani oſtentatione gloriæ, atque virtutis. Quapropter æquis, & ſapientibus viris, quales vos eſſe confidimus, non modo æqui bonique facienda ſunt, verùm etiam ſtudioſius animadvertenda ea, quæ dicturus ſum, ut Regiæ in vos beneficentiæ, amoriſque magnitudinem, & cauſſas intelligatis, ob quas ſumptuoſiſſimam iſtam Taurinenſis Lycei redintegrationem tempus, & neceſſitas flagitarent.

Quod enim ad elegantioris humanitatis attinet cultum, ut indè ſumamus exordium, quo pacto vel levis, & adumbrata ejuſmodi rerum notitia percipi poteſt ſine reconditarum, atque interiorum litterarum eruditione, quæ non latini modo, ſed græci potiſſimum ſermonis ſcientiâ continetur? Ac latinas quidam litteras velut admonens ſtrictim ac leviter attingam, ut quaſi digitum ad pulcherrimæ intendam præceptionis viam; quod ut male poſita ſunt initia, ſic cætera ſequi ſolent. Eius, inquam, inſtitutionis elementa toto vix ſeptennio non quidem perdiſci, ſed memoriæ mandari poſſunt, ſi longiſſimo, ut fieri aſſolet, utaris circuitu, atque operoſiſſimâ præceptorum complexione; quorum niſi cauſſæ, & rationes, & origines explicentur, nullam licet eorum perpetuam, & ſtabilem notionem

nem adipiſci. Horum enim multitudine, & quaſi colluvie quum obrutæ fuerint puerorum mentes, ubi non ex ſuis ducta principiis, non cum Græcis inſtitutionibus coniuncta, non certo naturalique inter ſe ordine apta, & colligata tradantur, ſi quam temporis partem, gravem illum, & interminatum diſcendi laborem intermiſerint, oblivioni penitus dabunt, perdito interim effuſoque tot annorum fructu, atque labore. Idque multo facilius accidere conſuevit, ſi à puerilibus ſtatim diſciplinis, in quarum ordinem Eloquentiam quoque redegerunt, non veram illam quidem, & numeris omnibus abſolutam, ſed ſimulatam quandam illius ſpeciem, quæ contortulis verborum argutiis, & exquiſitis ſententiolarum concluſiunculis pugnat atque laſcivit, ad deteriorem multò Philoſophiam ſe conferant, quæ per ſæviſſimas Arabum incurſiones in Europam illata, hebetes aculeos argumentationum, ac tortuoſum diſputandi genus invexit. Quandoquidem hæc omnia tam inquinato, & incondito ſermone adoleſcentibus tradi neceſſe eſt, ut ſe ſe momento temporis è Latino ſolo, atque cœlo in alium terrarum orbem, & barbaras nationes delatos putent. Nonne igitur huic malo celeriter medendum erat, quemadmodum pluribus in locis optimo conſilio atque eventu factum videbatur, ut ſolidioris doctrinæ fundamenta jacerentur?

Jam verò de vaniſſimis illis argutationibus, quibus Ariſtotelicam Philoſophiam Arabes ſcriptores corruperunt, Averroës, Algazel, Avicenna, quid commodè dicam, reperire vix poſſum, quum hæc potius miſerabiliter conquerenda, ac deploranda videantur; non modo enim illam ineptis ſuis acceſſionibus propè funditus immutarunt, verum etiam religionis fundamenta ſubruerunt. Quamobrem illorum audaciam atque errores, & pietatis, & doctrinarum omnium magiſter optimus Divus Thomas tanto conatu, ſtudio, labore, ac diligentia confutavit. Neque his ſe continet finibus eorum improbitas, & inſcitia; quippe qui rectam quoque ratiocinandi viam reſciderunt, ac deterrimam munierunt. Suâ namque prorſus nova ac pariter abſurda diſſerendi ratione de rebus iis, quarum nullas animo notiones informare poſſumus, perpetuam offundunt caliginem auditorum mentibus, eorumque acumen ingeniorum, ſi quod ipſis natura largita eſt, prorſus obtundunt. Dum ſiquidem earum rerum, quæ cogitatione tantum, & intelligentiâ diſtinguuntur, ſimulacra confingunt, eaque velut extantia contemplantur, adumbratas illas effigies, ut expreſſas, & ſolidas intuentur; atque ita vera cum falſis, explorata cum incertis, & dubiis confuderunt, ut perſpicuis rebus obduxerint tenebras, noſque judicio, ac propè ſenſibus ſpoliarint.

Qua

Qua verò alia de cauſa jampridem factum eſt, ut ſempiterna veritati nox circumfuſa videretur, niſi quod inanes iſtas, & commentitias notiones cum ſimilibus verborum præſtigiis ad Phyſiologiam quoque tranſtulerint iidem nefarii atque audaciſſimi veteris Philoſophiæ corruptores? Eluxere tamen non ita multis abhinc annis clariſſima aliquot Philoſophiæ lumina, viri omnibus diſciplinis, & liberaliſſimis ſtudiis eruditi, qui è tetris hiſce tenebris, cæciſque nubibus extulerunt caput, ut jucundiſſimam veritatis lucem intueri poſſent; quorumque ſollertiæ atque induſtriæ conſervatam rerum naturalium ſcientiam illuſtratamque debemus. Horum ſanè veſtigijs, niſi me fallit animus, inſtitere complures in hac urbe ſingulari doctrina, atque ingenio præditi, qui propriis laboribus, & ſumma virium contentione ex importuoſi illius maris fluctibus emerſere. Verum iſthæc privatorum opera fuit ac diligentia, qui ſuo marte offuſam undique vetuſtatis caliginem diſcuſſerunt, quibuſque propterea neceſſe fuit cum plurimis difficultatibus, præceptionum ſcilicet, ac librorum inopiâ, conflictari.

At doctrinam illam, quæ de moribus agit, ſilentio præteribo: abhorret enim animus ac reformidat dicere, quo pacto iiſdem captionibus, & vocularum offuciis depravari poſſit, atque perverti: unde difficile dictu eſt quanta

rerum

rerum omnium confuſio, quantaque vitæ perturbatio ſit oritura.

Ad Theologiam verò omni feſtinatione properat Oratio, quod hæc potiſſimum ſcientia, qua nulla prę̨ſtantior, nulla divinior, haud ullis ineptiarum maculis aſpergenda ſit, neque ampliſſima ipſius majeſtas ad plenas futilitatis, ſummæque levitatis argutias deducenda: vehementer autem doleam neque hanc commune doctrinarum fatum effugere potuiſſe, quin nempe eadem labe, iiſdemque ſordibus inquinaretur. Quum enim rerum divinarum cognitio divinitus editis Oraculis, ſapientiſſimorumque Eccleſiæ Magiſtrorum communibus decretis, aut privatis ſcriptionibus contineatur, germanos ejus artis auctores, & adminicula prætermiſerunt, atque ad inutiles admodum, alienaſque à propoſito commentationes evagati ſunt. An non igitur id deflendum exiſtimemus, quod ſæpenumerò, multiſque in locis, quò nondum doctrinæ elegantia pervaſit, evenire ſolet; ut homines ingenioſiſſimi otio abutentes ſuo, totam prope ætatem in vanis prorſus meditationibus conterant, ſeque pleniſſimam rerum cœleſtium notitiam aſſecutos arbitrentur? At quiſquamne erit unquam tam turpi inflatus errore, ut quum inaniſſimus revera divinæ Sapientiæ ſit, ſuo ſibi judicio ſapiens videatur? ubi quàm laborioſiſſimè rimatus fuerit, non ea quæ ab immortali Numine homini-

minibus tradita, non quæ univerſæ Eccleſiæ ſanctionibus, & conſuetudine roborata, non quæ doctiſſimis Pontificum, & Patrum lucubrationibus illuſtrata ſunt, ſed illa nimirum, quæ aut fieri poſſe, aut certis conditionibus eventura fuiſſe confinxerit? quâ quidem ratione fieret, ut nunquam promti paratique eſſe poſſemus ad explanandam tuendamque Religionis doctrinam, ſi quod cum ipſius Adverſariis certamen inciderit, quum nempe non quid fieri poſſit exquiritur, ſed quæ fuerit antiquiſſimorum Chriſtianorum ſententia, ad quam veluti normam eius generis diſceptationes exigi volunt.

Quod ſi prudens rerum æſtimator conſiliũ illud improbarit, an non æquè graviter, & acerbe tulerit, ſi quem videat haudquaquam Græcis, & Hebraicis inſtitutionibus informatum, ſacrorum Librorum interpretationem ſuſcipere, quos hiſce litteris conſignatos novimus? An non vehementer ipſum irridendum cenſeat, non ſecus atque illos qui ſine ulla gubernandi peritia, ſine velis ac remis, interque ſcopulos, & procellas navim regere, ac moderari aggrediantur?

Ius autem Pontificium, quod magnam vim, maximumque momentum habet ad ſacrorum diſciplinam incolumem integramque ſervandam, non modo è pervulgatis complurium ſcriptorum libris, ſed ab ipſâ potiſſimum Chriſtianæ antiquitatis memoriâ repetendum

tendum eſt, ejuſque origines, & incrementa ad noſtram uſque ætatem longiſſimâ temporum ſerie perducenda: quæ ſi velim omnia ſigillatim exequi, longum ſanè faciam, neque tàm promptum & expeditum, quàm res ipſa poſtulat, orationis hujus exitum reperirem.

Quocirca ad Iuris civilis veniam, & Romanarum legum ſcientiam, quam veluti propriam ſemper hæc ſibi Civitas vendicavit, quâque innumerabiles pœne viros perpetuò hìc excelluiſſe videmus, & ſummis honoribus functos, & litterarum gloriâ ingeniique ſui monumentis celeberrimos. Sed quamvis illius ſtudia ſatis ſuperque nunc temporis acerrimâ juventutis contentione ferveant, adhuc tamen illis elegantioris litteraturæ expolitionem quandam, & ornatum deeſſe judicarunt; nec tam incitandos adoleſcentium animos, quàm præcipitem, & immaturam ipſorum cupidinem retardandam, ne nimis celeriter ad forum ſe conferant, priuſquam ſcilicet interioribus literis, & longâ exercitatione ſubacti civilis prudentiæ fontes penitus hauſerint. Periculum enim eſt, ne rudes, & imparati, neque quibus opus eſt præſidiis ad dicendum inſtructi publicarum rerum tractationem magnâ cum civium pernicie aggrediantur.

Quum hæc igitur, quæ fortaſſe breviùs quàm oportebat huc uſque commemoravi, partim ſtudioſiſſimè præcavenda, partim ad uſum revocanda viderentur; ecquis unquam

inficias iverit proponenda fuiſſe vulgò quàm utiliſſimæ præceptionis exempla, quod pleriſque in locis jamdiu factitatum videbat Rex ſapientiſſimus, ut florerent in poſterum præſtantiſſimarum rerum ſtudia, atque doctrinę, quibus excultæ omnium mentes uberiorem quàm antea, ac lætiorem fructum ferre poſſent?

Quot enim quantaque ex iis commoda percepturi ſint, quantamque ea res gloriam ac dignitatem non modo illis ipſis, qui in hoc ſtudiorum curriculo ſe exercebunt, verum etiam huic civitati, ac ſubalpinis populis allatura ſit, breviter, ut cætera, demonſtrabo; ne diutius veſtra abutar humanitate. Et quidem ut ordiamur ab humanioribus litteris, quæ neceſſario præcurſionem quandam gravioribus diſciplinis adhibere debent, non mediocrem eæ videntur utilitatem afferre, ſi quàm optimâ viâ, & ratione tradantur: quippe quæ perfectã abſolutamque Romanarum rerum intelligentiam Grecæ ſimul eruditionis lumine circumfuſam præbeant; ex qua non ſolum elegantiſſimè ratiocinandi, ac diſſerendi facultas enaſcitur, ſi aſſiduam ejus generis ſcriptorum lectionem, meditationemque cõjunxeris; ſed præcipuè totius vel remotiſſimæ antiquitatis, illarumque nationum, quæ ſapientiſſimæ poſt homines natos, & clariſſimæ extiterunt, res domi, militiæque geſtæ, leges, mores, inſtituta noſcuntur. Indè

porro

porrò non pauca virtutis exempla peti poſſunt ad formandos juventutis animos, vitamque rectè inſtituendam neceſſaria, tum etiam innumerabilia civilis prudentiæ præcepta ad civitates optimè conſtituendas, & temperandas accommodata. Nam quid de eloquentia plura dicam? quæ multiplicis variæque cognitionis eſt fructus, atque compendium, ac ex infinitâ pœne rerum copiâ efflorеſcere debet, ut impellat quocumque incubuerit audientium animos, & regium illud atque mirificum in liberorum hominum voluntates imperium exerceat; quod hercle nonniſi Philoſophiâ omnium bonarum artium procreatrice, nec non civili jure perſpecto, & cognito teneri poteſt. Tantum abeſt, ut gravis illa, & operoſa dicendi facultas ad pueriles exercitationes amandanda ſit.

At germana quidem Rethoricæ ſoror Dialectica eximiam vim habet in omnibus diſciplinis; quippe quæ ſcientiam omnem perſpiciendæ, demonſtrandæque veritatis continet, quum nihil quidquam ſine ulla erroris ſuſpicione aut judicare aut invenire nobis liceat, niſi certum quendam inquiſitionis ordinem, & modum adhibeamus. Verum nemini dubium videri poteſt, quin multo luculentius inde ſit emolumentum ad omnes perventurum, ſi circumciſis, amputatiſque inanibus veterum commentationibus, quæ haudquaquam ſenſibus hominum, ac mentibus ac-

commodatæ ſunt, tantummodo illæ retineantur, quæ ad exacuendam valent ingeniorum aciem, & ad veritatem ſubtilius inveſtigandam: ita ut nullæ perſpicuis rebus offundantur tenebræ, ſed ad obſcuras potius, & involutas è ſuis latebris eruendas artis præcepta conferantur.

At vera illa, & ſolida Phyſiologiæ ratio quàm frugifera & fructuoſa, quàm jucunda eſt futura diſcentibus? ubi jam non infinita de voculis atque nugis, quibus nulla vis, nulla notio ſubjecta eſt, controverſiæ diſceptantur, ſed rerum omnium exordia ex ſuis ducta principiis cauſſiſque traduntur, & quo quidque modo gignatur, quoque diſpereat; ubi motus vires atque effecta, queis cuncta prorſus continentur, quæ in hac rerum univerſitate geri atque adminiſtrari videmus; ubi animi natura, ſenſuumque varietas, quæque inde oriuntur perturbationes, atque ut paucis multa complectar, ubi omnium, quæ cœlo, terra, marique naſcuntur ac vigent, ortus, & propagatio, & interitus explicantur. Neque hæc adeo nudâ, & ſimplici mentis contemplatione, aut conjecturis innixa, ſed ex ipſo fonte hauſta naturæ, & captis ſæpius experimentis demonſtrata. Quanta igitur voluptate afficientur auditorum animi, quum tot admiranda acutiſſimorum hominum inventa cognoſcent, quibus maximum Phyſiologia permultis abhinc annis incrementum cepit, &

quam-

quamplurima ad uſus vitæ neceſſarios excogitata ſunt? itaut augurari planè libeat nova quoque non pauca, ab iſtis ingeniis, quâ pollent ſollertiâ, & ſagacitate, patefacto ſemel aditu detegenda.

Hiſce autē ſtudiis ſubſidio cōparandæ erant Mathematicæ diſciplinæ, quarum cognitio etſi omnium pulcherrima, quum propter firmam, & perpetuam veritatis poſſeſſionem, tum quod aptiſſima ſit ad expoliendam mentis aciem, aperiendamque rerum occultarum intelligentiam, intra domeſticos tamen lectiſſimorum aliquot virorum parietes antea verſabatur.

At longè majorem utilitatem, ac momentum videtur habitura Regina artium Theologia, quam ex ſanctioribus depromptam auctoribus juventus addiſcet: poſthac enim divinarum rerum ſcientiam è ſacrorum librorum interpretatione, quorum mentem Hebraicæ eruditionis adjumento facilius aſſequetur, nec non è graviſſimis Eccleſiæ magiſtris plenius hauſtura eſt: multis autem partibus præſtat, integerrimos divinæ ſapientiæ fontes ad repellendam Adverſariorum vim, quàm devios atque inutiles argutantium rivulos conſectari. Inde morum quoque doctrinam multo certiorem, caſtioremque deducet, ut præclaris virtutibus excolat animum ad exemplar divinitatis expreſſum, ad cuius ſimilitudinem quoad humani generis

patitur imbecillitas, debemus accedere. Longiſſimè igitur ablegandi omniumque ab oculis amovendi ſunt fædiſſimi quorundam ſcriptorum libri, qui ſeſe de corrigendis moribus, tollendiſque vitiis ſcribere profitentur, quum adeò propoſitum non efficiant, ut teterrima potius flagitia, & quæ neſcire ſatius eſſet, rudem adhuc, & ignaram doceant juventutem.

Dicerem ſane plura de rectâ atque incorruptâ juris Pontificii notione, quæ priſtino quoque ſplendori, atque integritati reſtituta eſt, quantumque ea res publicæ ſalutis, & tranquillitatis interſit, ut majorum ſacra, ritus, cerimoniæque antiquis ſanctionibus comprehenſa ne labefactentur, ut ſanctiores leges atque inſtituta vigeant populorum conſuetudine, ut ſua conſtet ſacerdotio dignitas atque auctoritas, qua regia tamen majeſtas nulla ex parte minuatur, ac denique utriuſque poteſtatis jura in perpetuam ſocietatem, & concordiam reducantur. Copioſius itaque hæc omnia, ac diligentius enarrarem, tum eximias illas utilitates, quæ ſummis votis expeti, perfici verò aliter vix poſſunt, ſi præclaram illam in ſtudio litterarum occupationem abſtuleris; ut abducantur ſcilicet juvenum mentes ab deſidiâ atque ignaviâ, multoque magis à voluptatum, & libidinum illecebris, in quas ætatis vitio, & ſuapte ſponte prolabuntur, atque ad honeſtatis, ad officij, ad vir-

tutis

tutis amorem revocentur. Sed temporis anguſtiis excluſus hæc miſſa facio, ut ad eam tandem veniam orationis meæ partem, qua perhonorificam vobis regiam hanc liberalitatem fore pollicebar.

Duæ quippe ſunt omnino viæ, quibus nominis ſplendor, & claritudo parari ſolet, bellica nimirum virtus, & doctrinæ præſtantia, quæ communi omnium opinione prima ducuntur: quandoquidem ejuſmodi bonis ornati, atque inſtructi ſupra cæteros homines extolli, pollere opibus & gratia, atque ad altiſſimos honorum gradus evehi conſueverunt. Enimvero quum penitus ingenerata nobis ſit dominationis, & ſcientiæ cupiditas, quarum alteram corporis, animique viribus, alteram mentis ſollertia, ingenio, ac doctrinâ aſſequi poſſumus; meritò hæc bona, quibus humana quodammodo natura expleri, atque exornari videtur, in prima commendatione ponenda, omnibuſque ornamentis cohoneſtanda cenſuerunt. Utraque enim ſummum ſplendorem habet, ac ſummam imperij vim & poteſtatem; illa militiæ munera, hæc togata largitur; illa armatos cives regit, hæc inermes. Utraque principes virtutes expoſcit, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem atque temperantiam, quæ cuncta humana flectere, ac moderari ſolent. Vos autem ſuperioribus bellis militarem laudem adepti eſtis, quod firmiſſimum animi robur, & magnitudinem

præſtiteritis, quum nempè exiguâ manu potentiſſimum hoſtem, & impendentium malorum acerbitates à patriæ cervicibus depuliſtis. Vos enim ſoli, ut verum fatear, Inviĉtiſſimi Regis duĉtu atque auſpiciis, Italicorum armorum gloriam conſervaſtis, Italicæ virtutis opinionem retinuiſtis, ac non patriam modo, ſed Italiam ipſam ab ſervitutis ignominia vindicaſtis. Neque hîc veſtrorum ſubſtitit armorum impetus, & viĉtoriæ curſus; intuliſtis eadem hoſtibus mala, quæ vobis ipſi atrociter minitabantur, eorum agros viĉtoriis peragraſtis, arces quæ veſtræ imminebant libertati funditus evertiſtis, & quod permirum videatur firmiſſima ejuſdem propugnacula, ac munimenta hoſtis ipſe vobis præbuit ac paravit: capta enim ex hoſtico fœderis legibus poſſidetis. At licet hæc per ſe ſatis magna atque illuſtria ſint, levia tamen videantur, ſi ad orientem, occidentemque ſolem longius propagatos imperii fines, atque adeò Regium nomen, regiam dignitatem, regiam ditionem in opulentiſſimis inſulis eâdem virtute partam conſideremus. Non ſolum enim ex eo bello viĉtoriæ, ſed regni quoque compotes emerſiſtis, quod omnium & fœderatorum, & hoſtium conſenſu, atque opera fortiſſimo Duci Dominoque veſtro delatum eſt. Quid autem bellicis hiſce laudibus accreſcere poſſit haud video, quid magnificentius effici poſſit ignoro; & quidem pleniſſimè vos hanc gloriæ par-

tem

rem adeptos arbitror, & mecum cæteri fatebuntur.

Quapropter ad alteram quoque dignitatis partem minimè aſpernandam generoſis Viris, qui nihil per ſe ſplendidum, ac præclarum ſibi prætermittendum ducunt, conſentaneum eſt vos pro viribus eniti, atque contendere: eamque vos facili negotio aſſecuturos confido, ſi ingenuas diſciplinas in hoc lumine collocatas, quâ neceſſe eſt alacritate, atque induſtriâ colueritis. Sic utraque vos in poſterum, & bellicæ nimirum fortitudinis, & excellentis doctrinæ fama conſequetur apud exteras gentes, quas ijsdem inſtitutis jamdiu perpolitas ad eam fortunæ, & gloriæ altitudinem perveniſſe videmus, quâ non mediocrem ſibi auctoritatem pepererc. Quàm igitur honorificum, quàm illuſtre non ad præſentem tantummodo, ſed ad poſteri quoque temporis prædicationem tot res à vobis ſtrenuè geſtas tantâ exiſtimationis, & amplitudinis acceſſione cumulari? Quamobrem neminem arbitror diffiteri poſſe, multas, & neceſſarias extitiſſe cauſſas, maximaſque opportunitates, quæ cultioris humanitatis ſtudia revocarint in hanc celeberrimam olim Academiam, jamnunc felicibus auſpicijs renaſcentem, ac longe majorem, niſi me fallit opinio, magnificentiam, & claritatem habituram. Quot autem quantæque agendæ ſint gratiæ optimo Regi, verbis

bis planè eloqui neutiquam poſſum; immortales certè erunt habendæ pro tam ſingulari beneficio, quo ſubjectos ditioni ſuæ populos affecit, quos hercle potius paternâ veluti neceſſitudine, & caritate complecti, quàm regio nutu, ac imperio moderari conſuevit. Jure enim merito nobiles viri, & ſapientes, & bene naturâ conſtituti divinum hoc Principis conſilium unicè laudant, atque ſuſpiciunt, quo quidem ad innumerabilia ipſius in rempublicam merita ingens quidam munificentiæ cumulus acceſſit. Verum ut præclara tanti operis inſtructio, atque ſuſceptio dignos expectatione civium exitus habeat, in vobis ſitum eſt, honeſtiſſimi Adoleſcentes, qui aut nobilitate, aut ingenio præſtatis. Quapropter vos ego quàm maximè potero, & ad Majorum veſtrorum perſequenda veſtigia, & ad eam vitæ rationem amplectendam cohortabor, quâ ex omni memoria complures neque generis obſcuritate, neque rei familiaris anguſtijs impediti ad ſummos honores, ac divitias emerſere. Hæc enim rectiſſima eſt laudis, & virtutis via, quam tot clarorum virorum ingreſſus tritam vobis, & facilem reliquerunt, maximèque omnium expeditam præbuit Rex clementiſſimus, ne magnis, & longinquis laboribus, alioquin experiundis ſubeundiſque, à tam laudabili inſtituto deterreremini. Hoc itaque vobis agendum,

hoc

hoc ſumma ope conandum, in id ſtudium omni cura, & cogitatione debetis incumbere, ne communem omnium ſpem in egregia veſtra indole, & voluntate poſitam atque defixam per deſidiam, & ignaviam corrumpatis; ne Regius iſte apparatus tanto ſumptu ornatuque ſuſceptus ad comparanda vobis inſtrumenta doctrinæ per veſtram ſocordiam ad irritum cadat; quâ re ſempiternam nomini veſtro, univerſæque genti dedecoris,& infamiæ labem aſpergatis. Quid enim turpius, quid indignius homíne ad cultum, humanitatemque nato, nedum liberaliter educatis adoleſcentibus, quibus tot domeſticæ gloriæ, atque honeſtatis exempla prælucent, quàm vitam luxu otioque tranſigere? quæque vobis natura tribuit adjumenta ad ſapientiam adipiſcendam, per ſummam injuriam fœditatemque contemnere, eaque ad cupiditatum illecebras, & voluptatum lenocinia perquirenda traducere? Præſertim quum hæc temporis opportunitas, nulli non ardentiſſimis votis expetenda, acerrimos vobis admoveat ſtimulos laboris, atque induſtriæ. Quam nempe fortunam cæteri omnes, quotquot incorrupta ratione, ac judicio uti conſuevere, tanti faciunt adeòque vehementer exoptant, ut bene ſecum agi putent, ſi magno emptam pretio obtinere poſſint (quod quidem multos clari nominis viros feciſſe vidimus, ut

rei

rei familiaris copias in ſtudijs doctrinæ libenter abſumpſerint] vos eam ipſam ſummâ Dei benignitate, eximiâque Regis operâ, & beneficentiâ, ſine ulla veſtra ſollicitudine, atque impendio vobis oblatam è manibus dimittetis? Profecto refugit animus credere tantam in vobis futuram incuriam, tam agreſtem, & inhumanam negligentiam, ut dum alij intentiſſimâ curâ rebus veſtris, veſtræque ſaluti, ac dignitati proſpiciunt, vos ipſi, quorum magnopere intereſt, propter ſegnitiem, ac turpem inertiam tantæ laudis, atque emolumenti occaſionem amittere præoptetis; quum id unum propoſitum vobis eſſe debeat, id unum oculis acriter intuendum, eòque vobis curſus omnis vitæque ratio dirigenda ſit. Omninò igitur quantum viribus ſtudioque contendere, quantum ingenio, & aſſiduitate licet, efficiendum vobis eſt, ut mirificam Regis expectationem, patriæ deſiderium, parentum, ac civium ſpem non cumulatè ſolum, ac prolixè, verum etiam celeriter expleatis; ut tandem aliquando decus, atque ornamentum hujus imperij, præſidium, ac firmamentum reipublicæ eſſe poſſitis.

DE

DE ORATORIÆ FACULTATIS PRÆSTANTIA AC UTILITATE.

ORATIO II.

Habita III. Nonas Novemb. an. M. DCC. XXI. In Aula Taurin. Lycei.

EA ſanè vetus eſt ac peruagata fere omnium conſuetudo, qui tradendis excolendiſve artibus ingenuis operam navare ſolent, ut illas dumtaxat ſummoperè prædicent, ac infinita quadam laude cæteris anteponant, in quibus à prima adoleſcentia multum temporis, & diligentiæ collocarunt, vel quas jampridem ſibi ad publicam utilitatem illuſtrandas deſumſerunt. Quo quidem in genere illi non mediocriter mihi peccare videntur, qui quum ſuarum artium ſtudia in cœlum ferant, cunctas præterea diſciplinas aut tanquam minus utiles ſilentio prætermittunt, aut velut infructuoſas faſtidioſè contemnunt, aut tanquam ineptas admodum, atque adeo noxias averſantur. Haudquaquam enim veritatis ſtudio, aut cognitione ducti ſuam diſcendi, docendique rationem multò ſæpius temerè, quàm ſa-

ſapienter inſtitutam magnificentius extollere conſueverunt, & alienam arrogantius deſpicari; ſed ſuum conantur judicium iu deligendis olim è doctrinarum numero, quibus operam ſuam, & induſtriam conſecrarent, reliquorum hominum judiciis anteferre. Ita nimio, ac pęne cæco ſuimet amore flagrantes, ne dicā in errorem abducti, ſibi omnem adimunt auctoritatem, & dictis abrogant fidem, quippe qui parum rectè atque ſincerè de politioris humanitatis artibus judicare exiſtimentur. Neque enim univerſis ſumma laus illa, & ſine ullius comparatione congruere poſſe videtur. Quamobrem illud immodicis ejuſmodi laudatoribus, nec immerito evenire ſolet, ut jam parum æquis animis excipiantur, & fatigatæ audientium aures aliud prorſus expoſcant.

Eas ob cauſſas vehementius vereor, A. O. de Oratoriæ facultatis uſu, ac dignitate apud vos ſermonem habiturus, ne ſuſceptæ orationis ſimilitudine eandem ſciens prudenſque offenſionem ſubeam, quum quod antecaptam jamdudum mentibus opinionem, ne dicenti officiat, reformidem, tum quod coram ſapientiſſimis viris ab ingenio, & doctrina paratiſſimis orandum ſit, quorum auribus, nihil niſi novè, ſollerter, & acutè excogitatum, numeriſque expletum omnibus afferendum eſt.

Verum quum eius artis explanandæ mu-

nus impoſitum mihi fuerit, quod ſuperioris anni curriculo pro virili parte executus ſum, & florentiſſimæ hujus Academiæ inſtituto ejuſdem diſciplinæ ratio explicanda ſit, nihil erat cauſſæ cur hujuſcemodi laudationis officium defugerem, quo Clariſſimi collegæ mei ſuæ quiſque inſtitutionis commendandæ gratiâ, ſumma cum prudentiæ, ac doctrinæ laude perfuncti ſunt. Dabo igitur operam, atque enitar, ut eorum moderationis exemplo [ingenium enim aſſequi nunquam potero] communis oſtentationis reprehenſionem fugiam, & orationis perſpicua, ac ſimplici veritate, ſi non lepore, ac elegantia, auditorum expectationi, ac benignitati reſpondeam: præſertim quum dicendi profeſſio non certis adeo circumſcripta finibus ſit, neque à cætera liberali eruditione ſejuncta, ſed omnes propemodum illius partes latiſſimè pervagetur, in omnium veluti poſſeſſiones irrumpat, omneſque ſuo ſinu quam arctiſſimè complectatur; ita ut nuſquam illa ſine ipſarum colligatione conſiſtere, nedum excellere, atque enitere poſſit ſplendore ſuo ſine conjunctiſſima ſociarum artium prædicatione.

Enimvero ſi univerſam ipſius vim, atque naturam comprehendamus, quæcumque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, id omne interminato quodam ambitu videbitur amplecti, & ſuo ſibi jure vindicare, hac ſci-

licet

licet lege, eoque conſilio, ut graviter, & compoſitè, & ornatè in coetibus hominum diſſerendo eorum voluntates in ſuam ſententiam pertrahat; unde non vulgaris ipſius commendatio, nobilitaſque ducitur. Nam nihil præſtantius hominum generi divinitus attributum videtur ratione, & intelligentiâ, qua una propius ad immortalis, & infinitæ naturæ ſimilitudinem accedimus, incredibili cum dignitate, præſtantiâque cunctarum animantium, quum iſta nobis interea longè, ac multum valetudine, velocitate, & corporis viribus antecellant. At quorſum perſpicax illa mentis cogitatio, quæ ad virtutes valet, ac vitia internoſcenda, utiliaque à noxijs ſecernendâ, ſine mutui ſermonis conſuetudine? quò rectè, utiliterque proviſa, ut ad communem redundent fructum, luculenter alijs exponamus, cujuſque adjumento nobis peculiari, longiſſimo quoque intervallo à mutis animantibus ſeparamur. Neque hæc tamen auxilia, ratio nimirum ſermoniſque communio, quæ nobis natura largita eſt, quamvis per ſe magna, atque præclara, adhuc ſatis eſſe poſſent ad bene feliciterque vivendum. Quid enim? ſi nacti alios perniciosis, & peſtiferis addictos cupiditatibus, & honeſtis ſuaſionibus pertinacitèr repugnantes nullam prorſus inire poſſemus viam, quâ illos in eam opinionem adduceremus, ut majorem officij,

ac honeſtatis quam ſui commodi, & voluptatis rationem ducere vellent; Ecquiſnam ſapientiſſimæ allocutionis conſtaret fructus, ſi neutiquam ipſos de illa pravitate animi deduceremus? Id vero una demum conſequi poteſt perſuadendi vis, efficax admodum hujuſce utilitatis adminiſtra; quocirca licet in homine intelligentia maximarum rerum inventrix ſit, earum tamen effectricem, ac moderatricem eſſe eloquentiam fateamur oportet, ſine qua ne ulla quidem foret vitæ ratio, conſuetudoque communis. Hiſce etenim quaſi gradibus humani generis conſociatio in eum eſt adducta locum, quem nunc tenet, quaſi firmiſſimam tranquillitatis arcem, cujus ſane nulla vis alia, quàm eloquentiæ induxit exordium.

Et quidem,ut rem propius intueamur, non hercle inficias iverim, inter homines adhuc rudes, neque dum ex agreſti vita ad humanitatem civili conjunctione mitigatos, jam inde ab initio non paucos fuiſſe acrioribus ingenijs, & mira cogitandi celeritate, qui pulcherrimam mortalium rerum conſtitutionem, Cœli, aſtrorumque curſus, temporum viciſſitudines, gignendi maturitates, totiuſque naturæ ordinem conſpicati, divino hæc omnia conſilio adminiſtrari viderent; ac deinde paullatim à corporis contagione animum ſevocantes in virtutis, & pietatis

ſpeciem oculos intenderent; dum reliqua multitudo mortali concretione funditus obruta, atque demerſa, belluarum potius more ætatem ageret, nullis certis ſedibus, connubijs, legibus, inſtitutis; unde quot mala, quàmque acerbæ calamitates in hominum vitam invaderent, quivis poterit cogitatione complecti. Ponite enim vobis ob oculos liberam gentem, nullis legum veluti catenis alligatam, nullo religionis, nullo ſuppliciorum terrore coercitam, quemadmodum à recenti Mundi ortu, vitiata noſtri generis ſtirpe, populos pene cunctos egiſſe [quum ſcilicet antiquam libertatem, aut potius immoderatam obtinerent licentiam] è priſca annalium vetuſtate graviſſimi Scriptores memoriæ prodiderunt. Jam in eo rerum ſtatu quidquid vehemens, & furioſa dominatrix animi cupiditas ſuaſerit, quidquid audacia, quidquid potentia moliri poterunt, licere perſpicietis: ibi omnia cæco, & temerario violentiæ impetu geri, infirmiores à valentioribus opprimi, eorum bona diripi, agros invadi, uxores ad aliena connubia, liberos, aut in ſervitutem trahi, aut crudeliter interfici, & mutuam interim cladem, atque perniciem omnibus imminere: jam nulla ibi quies, nulla animi ſecuritas, aſſiduus malorum omnium, aut exitij metus inſidebit mentibus: ita ut miſeri non vitam, ſed animam agere videantur. At quo pacto unquam homines

è

è turbida illa tempeſtatè in portum aliquem tranquillitatis perfugere potuiſſent ſine Eloquentiæ miniſterio? Nam quis in animum inducere poteſt efferos hominum mores emolliri, atque animos conſociari potuiſſe ſine mutua conſenſione? At quid eam efficere potuiſſet præter congreſſus, & colloquij opportunitatem? Quid autem iſta ad rei ſummam profuiſſet, niſi eam perſuaſio protinus eſſet conſecuta? niſi nempe ſapiens quiſpiam, & diſertus vir ardentiſſimas dicendi faces omnium animis admovendo ad meliora vitæ inſtituta revocaſſet, ita ut paullatim orationis illecebris delinitos, & mutui commodi, incolumitatis, auxilij ratione permotos agreſtes illos à feritate ad humanitatem, à cœdibus ad lenitudinem, à rapinis ad abſtinentiam, à turpi, ac effrę̄nata licentia ad ſanctiſſimam legum diſciplinam; à belluino cultu, atque victu ad civilem conciliationem, ſocietatemque traduceret?

Quamvis enim ea, quæ humano generi ſaluberrima forent, multorum incorrupta ratio, & conſilium providiſſet, ut hæc tamen multitudinis conſenſione fierent, non niſi perſuadendo, deflectendoque mentes à priori conſuetudine eloquentiæ efficacitas obtinere potuit: quod enim ſubſidium muta prorſus, & elinguis, & inops dicendi ſapientia afferre valuiſſet? Immò vero quanta fuit eloquendi vis, quod verborum flu-

men, quæ orationis incitatio adhibenda, ut viribus prævalentes ſua voluntate profuturam ſibi audaciam, immanitatemque dediſcerent? quique alios antea ad injuſta imperia cogebant, quibus omne vitæ præſidium in facienda injuria collocatum erat; unde, prout vellent, divitijs, voluptatibus, copijſque omnibus circumfluebant; ij poſtmodum unius, aut paucorum Imperio regi, æquo cum imbecillioribus jure agere, Legum vinculis conſtringi, ſupplicia perhorreſcere, ſuas utilitates aſpernari, pro alijs pericula ſubire, mortem denique oppetere vellent? Hæc porro fidem omnem ſuperare videntur, & incredibilem quandam eloquentiæ virtutem, potentiamque declarant; quippe qua tam inopinata, ac mirabilis illa voluntatum commutatio facta ſit. O jucundiſſimam tanti beneficij recordationem, quo nos à longinquis erroribus in viam, & ad pulcherrimam noſtri ortus conditionem reducti ſumus! Nullis profecto laudibus ſatis commendari poterit effectrix tanti operis, & muneris, quo nihil ad ſpeciem auguſtius, nihil ad uſum præſtantius, nihil ad fructum uberius; quippe quod prima ſociabilem illam conſortionem inter homines conciliavit inſequentibus ſeculorum ætatibus futuram humano generi ſalutarem.

Quot enim, & quàm præclara emolumenta ex illo fonte manarint, vix eſt ut cogita-

gitatione comprehendere, nedum verbis exequi poſſim. Hinc videlicet exuta feritate ſenſim homines ad pietatem, & communem ſacrorum uſum adacti ſunt, qui etiam mirum in modum emollivit animos, & ad virtutis ſtudium excitavit. Hinc certa conjugii vincula, conſtituta domicilia, conditæ civitates, urbes extructæ, leges & publica jura deſcripta, definitæ agrorum regiones, quorum nullus antea modus fuerat præſtitutus, atque ita deinceps è confluentibus in unum populis nationes ac gentes coaluerunt, & circumſcriptis regnorum finibus terrarum orbis eſt diſtributus. Hinc denique partâ domi quiete, optimarum rerum cognoſcendarum deſiderio exarſerunt, quarum ſcientia partim ad vitæ cultum utilis & fructuoſa, partim mirifica voluptate afficeret animum inveſtigatione veritatis. Quod enim ſpatium eſſe potuit excolendarum artium inter mutua illa diſſidia & internecina certamina, quarum ſtudia non niſi per otium concelebrata eniteſcere potuerunt?

Quapropter apud priſcos mortales, adhuc ſuperſtitionis erroribus imbutos, quum ea conſuetudo invaluiſſet, ut ij qui præclarè de rebus humanis meriti fuiſſent, immortalitate donarentur; rectè quidem ac merito eloquentes viros, qui humanitatem ipſam aberrantem, ac prope perditam revocaſſent (quod divinitatis prope cujuſdam videbatur) ad

æternitatem, & religionem, & memoriam conſervaverunt. Ita divinos honores aſſecuti ſunt Mercurius ille, *Thoyth* apud Ægyptios, Cecrops, & Theſeus apud Athenienſes, Amphion apud Thebanos, Orpheus apud Thraces, Saturnus apud Italos, Hercules ille Gallicus apud ſuos; cujus quidem Herculis effigies ſingularem vim Eloquentiæ demonſtrabat, ut ingenioſiſſimus ſuæ ætatis orator Lucianus ille Samoſatenus affirmat. Fingebatur enim viri loquentis inſtar, è cuius ore innumerabiles aureæ catenulæ fundebantur, ad circumfuſam auditorum multitudinem pertinentes, quæ vinculorum illorum nexibus ad orantem Deum pertrahi videbatur; eaque re jam non barbari homines orationis ſuavitatem ſimul & robur ſignificare voluerunt, quum eloquentem Deum, ſuæque gentis auctorem hac imagine venerarentur; & quidem multo graviores, juſtioreſque cauſſæ ſuberant, cur beneficos potius & ſalutares homines in Cœlum tollerent, quam promptiſſimos, & ferociſſimos bellatores, veluti Martem illum Gradivum, Thebanum Herculem, Liberum Patrem, qui nempe cædium, & vaſtationum magnitudine, exciſarum numero gentium, & everſorum regnorum amplitudine ſibi nomen, & famam quærerent divinitatis. Quid enim tam inſolens fieri poterat, tam ab omni ratione alienum, quàm ut ij qui populos internecione deleſſent, non qui à fati fauci-

bus

bus ſervaſſent, qui urbes funditus diruiſſent, non qui primùm à fundamentis excitaſſent, alienorum bonorum direptores, non qui eadem æquo jure tribuiſſent, violatores ſanctiſſimarum legum, non conditores, humani generis exitioſiſſimæ peſtes, non liberatores ſervatoreſque, immortalitatis gloriam adipiſcerentur? Nimirum munificentiæ, ac benignitati, ſcelerum omnium importunitas, impunitaſque præſtabit? quanto igitur amplior, ac verior eſt illa laus benefactis quæſita, & pietatis officiis, tanto illuſtrior eloquentiæ ſplendor, qui ſingularium ipſius in omne hominum genus meritorum magnitudine eluxit; quorum etiam veſtigia, etſi tot celeberrimis conſignata monumentis, ac jam altius impreſſa quàm ut vetuſtate unquam, aut oblivione aboleri poſſent, fabularum præterea involuta documentis poſterorum memoriæ commendare voluerunt, quum ſcilicet Orpheum, & Amphionem dictitarunt belluas, & ſaxa allicere, & trahere quò vellent carminum dulcedine conſueviſſe, ut lyrici carminis apud Latinos auctor ad hunc modum teſtatus eſt:

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet: fuit hæc ſapientia quondam

Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri; Leges incidere ligno.

At quemadmodum in Civitatum initiis Eloquentiæ incunabula, & rudimenta reperimus, ita in earum pacata, & tranquilla administratione ipſius quaſi adoleſcentiæ florem, & firmioris robur ætatis reperiemus. Compoſitis enim rebus è tumultuoſa illa & ſeditioſa vita, qui multitudini recta, & utilia perſuadere poterant, ita ut populari cum aſſenſione audirentur, ij non modo vulgus in magnam ſui admirationem traducebant, verum etiam in liberos homines imperium ſibi comparabant eo præſtantius, ac firmius, quod non terrore, ſed blanditiis, non in corpora, ſed in animos, nec ulla quidem neceſſitate coactos, ſed ſumma eorum ipſorum voluntate, ac voluptate dominarentur. Ita quum orationis quaſi quibuſdam habenis omnium mentes ad ſuum arbitrium, nutumque flecteret, ſi de pace, de bello, de Magiſtratibus, de Legibus ageretur, tanquam multo plus cæteris poſſent in turbulentiſſimis temporibus pervidere, ac proſpicere in poſterum, perinde ac publici conſilii auctores habebantur, & populari aura longius provecti ad altiſſimos honorum gradus evadebant. Qua de re in florentiſſimis olim civitatibus Eloquentia ad luculentas dignitates muniebat viam, quum nunquam à reipublicæ gubernatione ſejungeretur. Ita ut iidem &

diſertiſſimi Oratores, & prudentiſſimi Rectores populi, & fortiſſimi Duces militum forent; quorum quidem Græcorum, & Romanorum gentes, quum maxime florerent pacis bellique artibus, incredibilem copiam pepererunt.

Ac licet ijs, quæ conſecutæ ſunt ætatibus, poſtquam omnia ſub unius ditionem redacta fuerant, è ſua veluti arce dejecta, & paterno regno deturbata vis omnis dicendi è tanta luce, atque gloria ad forenſes cancellos, & judicum ſubſellia compulſa fuerit, multo maximam tamen partem priſtinæ retinuit amplitudinis, & in graviſſimis judiciis, quæ non privatorum modo caput atque fortunas, ſed & Reipublicæ ſtatum attingerent, honorifice, ſplendideque verſata eſt. Nam ſi reliquis honoribus, & præmiis ſpoliata huc tandem redacta foret, ut in judiciariis concertationibus innocentium exiſtimationem ab improborum calumniis, civium ſalutem, & domeſticas facultates à verſutorum hominum criminationibus, fraudibus, iniquitate defenderet, nonne illa ampliſſimum munus efficere videretur, quippe à cuius præſidio incolumitas omnium,& vita penderet?

At non iſtud ei tantummodo præfinitum eſt exercitationis ſpatium; etiam nunc omnes humanæ vitæ occupat partes, omnium opportunitatum articulos obſidet, omnia temporum obtinet intervalla, & publicis ac priva-

privatis negotiis non intereſſe ſolum, ſed etiam præeſſe conſuevit. Tametſi enim non eadem nunc ipſam ubique honoris aura promoveat, quamvis non luce, ac palam in omni actione reipublicæ, & procuratione floreat; pollet tamen vigetque integris viribus, ſi legationes ſtrenue ac feliciter obeundæ, ſi pax, bellumve Regibus ſuadendum, ſi æquitas in iudiciis propugnanda, ſi vulgus à flagitiis abſterrendum, ſi qui denique motus animorum aut inflammandi ſunt, aut extinguendi, atque, ut paucis complectar, quidquid mutuo ſermone peragimus, quo plane vita omnis hominum continetur, id illi proprium,& peculiare, ſummoque jure eſt attributum. At verò ut hac mirabili facultate, & copia vagari poſſit qua velit, quaque res ipſa poſtulat, multarum artium adminiculis fulcienda eſt, à quibus ubertatem dicendi repetat, fonteſque orationis, nec ſine reconditis interioribuſque litteris proficere ad ſummam rei, aut efficere quidquam poteſt.

Obmuteſcat enim, & concidat neceſſe eſt ſine plurimarum rerum ſcientiâ, quæ dictionem ipſam alit, & vegetam acremque reddit, quemadmodum ad corporis robur, & valetudinem ſuſtentandam oportet vitalem ſpiritum, & incorruptum illum veri ſanguinis ſuccum in omni corpore fuſos eſſe æquabiliter, ac diſtributos.

Neque tamen illa, velut acceptorum bene-

neficiorum immemor non parem viciſſim gratiam refert ijs artibus, quas in auxilium advocat, plurimam illis dignitatem, & robur adjungens. Nam ut cætera prætervolem, ne me longius provehat inſtitutæ orationis curſus, ad publici juris diſciplinam in forenſi palæſtra cum laude tractandam, quum perutilis ac de induſtria jam olim accommodata, tum etiam quam maximè neceſſaria videtur Eloquentia; quippe quæ res ipſas è juris fontibus hauſtas, tanta concinnitate diſtribuit, gravitate confirmat, verborum illuſtrat ſplendore & copia, ut veritas è diſpertitis quaſi luminibus & obſcuris legum teſtimoniis velut è tenebris eluceſcens in uno ſimul, & apertiſſimo lumine collocetur.

Sæpe enim ambigua, & ſalebroſa legum capita, quum ſatis acutâ, tum diſertâ, & gravi interpretatione ornatius explicari, & planius exprimi debent; nec quidquam roboris, ac firmamenti habere poſſunt, niſi ſententia, in quam traducenda ſunt, nervoſo dicendi genere, & rationum copia ſuſtentetur. Quid enim ſunt profutura dicenti coacervata ex legibus, & Prudentûm reſponſis teſtimonia, quæ ſæpenumero contingit ut in rem nullam certa poſſint afferri, nec controverſiam apertè definiant? atque idcircò per ratiocinationem, exemplorum & ſimilitudinum ſubſidio explananda, definienda, & conſtituenda ſint? Quid autem iſtud profuturum

eſt,

eſt, niſi adſit in hoc interpretandi, diſſerendique genere & mira explicatio, & ſermonis ubertas? quid denique iſtæ profuturæ ſunt, niſi illa omnia ſimul & commoda diſtributione, & perpetua dictione colligata conſtanter, & aptiſſimè videantur in unum collineare? Hâc demum via ſubjicient oculis cauſſæ caput atque præſidium jam illuſtribus notis, & perſpicuis deprehenſum. Non enim ſatis eminet, atque eniteſcit veritas nudis tantum teſtimoniis, & inornatis, ac jejunis argumentationibus, quæ non intimam penitus rei naturam, non omnem illius vim, non ſingulas partes, non arctiſſimè illi conjuncta, non quæ proximè ipſam attingunt, accuratiſſimâ inveſtigatione perſequuntur. Ita ſiquidem dimidiata ſolum, aut exigua ipſius pars, quaſi per caliginem perſtringet oculorum aciem, non eo circumfuſa lumine, non ita connexis copulatiſque rebus, non tam acri ac vehementi dictionis incitatione, quam rei gravitas flagitabit. Luminoſæ enim cumprimis ſunt, & actuoſiſſimæ partes illæ duæ Oratoriæ facultatis, quæ cæſam, ut ita dicam, & præparatam maximâ ubertate, & varietate materiem aptâ rerum collocatione, atque nexu, & conſentaneo verborum delectu non expoliunt modo, & exornant; ſed magnam quoque illi ſtabilitatem dant, & firmitatem.

Idcircò in Athenienſium Republica, qui pri-

primas ſine ulla dubitatione tulerunt, Juris cognitionem cum Eloquentia conjunxere; quippe ambas eodem ortu, & in iiſdem procreatas incunabulis, & pariter educatas. Tales fuere magni nominis viri Solon, Pericles, Cleon, Alcibiades, Iſœus, Demoſthenes, Hyperides, aliique ejuſdem memoriæ, quorum monumenta nobis litteræ reliquerunt; & apud Romanos, qui Græcorum gloriam hujuſcemodi inſtitutionibus ſuperarunt, Ælius Tubero, Mucius Scævola, M. Antonius, L. Craſſus, L. Cæſar, Q. Hortenſius, M. Tullius, qui in forenſibus judiciis ætatem contriverunt, & dicendi laude, & omnium bonarum artium ſcientia floruere. Sed quid attinet externa commemorare, quum domeſtica ſuppetant exempla, quibus maxime poterit juventus tam frugiferæ, ac eximiæ eruditionis amore ſuccendi? Hæc enim florentiſſima gens præter reliqua honoris ornamenta, illuſtrium etiam ingeniorum feraciſſima, è doctrinis omnibus juriſprudentiam publicis rationibus accommodatiſſimam ſumma ope ſibi colendam, exornandamque delegit, eoque in genere præſtantiſſimos viros edidit, aluitque cum veteribus illis legum ſcientiâ comparandos. Nemo hercle veſtrûm ignorat Bellonium, Vaudum, Germonium, Liotardum, Gubernatium, alioſque complures, ac potiſſimum Fabrum, quem, ſi Jacobum Cujacium adjungas, alterum juriſprudentiæ

Lu-

Digitized by Google

Lumen merito appelles; at iidem ipſi fuere expolitioris humanitatis ſtudio, & eloquendi nitore, copiâ, atque elegantiâ ſingulares, quorum mens atque doctrina ſpirare adhuc videtur in ſcriptis, quæ ſane quum perleges, tibi veteres illos Romani juris Antiſtites audire loquentes videare.

Illorum itaque veſtigiis, ornatiſſimi adoleſcentes, inſiſtite, qui vobis ad abditos ejus diſciplinæ fontes, & ad præſtantiorem illius aſſequendæ viam, clariſſimam facem prætulerunt; jam nulla circuitione, nulloque anfractu quiſquam in devia poteſt avocari. Hac quippe rectum ac expeditum patet iter ad Juriſprudentiam contendentibus: quâ ſcilicet tot, tantique Viri perfectione magnorum operum in rei civilis adminiſtratione, & doctiſſimis commentationibus eam nominis claritudinem adepti ſunt, ut ſui memoriam cum omni poſteritate adæquarint. In hoc me hercule vobis induſtriæ curriculo elaborandum eſt; hæ digniſſimæ veſtris ingeniis exercitationes, in quibus labor veſter, ac ſollertia enitere poſſit ad patriæ decus, ornamentum familiæ, civium ſalutem, innocentium defenſionem. Partem igitur aliquam ſtudiorum veſtrorum ſibi vindicet Eloquentia, ac humaniores diſciplinæ, quæ nunquam à priore disjunctę ſunt, ac ſine quibus dicendi facultas comparari nequit: præſertim

quum

quum tanta vobis opportunitas, tanta felicitas obtigerit optimi revera, & maximi Regis benignitate. Poſtquam enim ſedati fuere bellorum fluctus, & conſtabilita partiæ libertas eſt, non ſecus ac poſt invictiſſimi Emmanuelis Philiberti reditum in avitam ditionem ejectis jam hoſtibus ac profligatis, cum pacis tranquillitate atque otio planè omnis divinarum humanarumque rerum doctrina revixit, ac refloruit, multo uberiorem fructum allatura; ita ut Athenæ illæ Atticæ, cunctis olim & laudatiſſimis artibus redundantes ad cumulatiſſimam adoleſcentium eruditionem jam nunc denuò in hac urbe, ac melioribus auſpiciis inſtauratæ videantur. Et quidem tam vehementibus gloriæ ſtimulis omnium animi concitati ſunt, ut mira ſane propenſio, & alacritas juventutis exarſerit ad capeſſenda optimarum rerum ſtudia, in quibus ſuperioris anni ſpecimina plurimum hercle profectum eſſe declarant. Verum non indolis tantùm bonitate, & perſpicacia, ſed progreſſione etiam, ac aſſiduitate diſcendi, ad cujuſque ſcientiæ perfectionem abſolutionemque veniendum eſt. Quamobrem quum abundetis ingenio, ac lectiſſimis præceptionibus doctrinarum, eam vobis ipſis, & Patriæ præſtate fidem, diligentiam, atque conſtantiam in percipiendis

piendis

piendis, colendiſque exquiſitioribus diſci-
plinis, ut clariſſimos illos viros, qui hanc Urbem ſempiternis operum ſuorum monumentis illuſtrarunt, quaſi redivivos in hanc ætatem veſtra virtute, ac ſapientia revocetis.

ORATIO III.

HABITA DIE NATALI

VICTORII AMEDEI II.

Sardiniæ Regis,

In Aula Taurinenſis Lycei.

Pridie Idus Majas Anno M. DCC. XXII.

Quamquam in fortibus viris, qui rerum geſtarum magnitudine immortalitatem nominis adepti ſunt, firmioris ætatis tempora, quippe ſola multorum atque illuſtrium facinorum monumentis inſignia, admirationis plurimum habere videantur: haud tamen initia naſcendi, ex quibus vitæ totius ratio, & cauſſa ducuntur, ſilentio, aut oblivione videntur obruenda; imò potiùs omni laude, & prædicatione celebranda. Iſta enim verò, quæ primum eos in lucem editos, ſuſceptoſque in vitæ hujus curriculum intulerunt magnâ cum excellentiâ, præſtantiâque reliquorum hominum peragendum, eodem planè loco habenda ſunt, ac veluti apertus quidam gloriæ curſus, & ingreſſio, qua in virtutis ſtadium exorti prodierunt; ex quo ſcilicet fonte-

res cæteræ profluxerunt, quas ſtrenuè, ſapienterque geſtas admiramur. At in ſummis viris, qui incredibili virtute, ac penè divinâ communem humanitatis ſortem ſunt prætergreſſi, multò ſtudioſius vitæ primordia commendare debemus; quum quod eorum ortus recordatione jucundiſſimâ multorum, & ſingularium benefactorum memoria redintegratur, tùm quod iis quædam ſit divinitùs ad dignitatem, & amplitudinem adjuncta fortuna: quæ non modo ipſorum vitam per omnes ætatis gradus, ſed & ipſum vivendi exordium mirabilius, ac magnificentius ornare conſuevit: ità ut nihil in aditu illo immortalis laudis non eximium, non illuſtre, non prodigio ſimile reperiatur. Undè nobiliſſimarum gentium inſtitutis mos ille jamdudum increbuit, ut eorum, qui ſapientiæ, & fortitudinis exiſtimatione præter cæteros floruerunt, natalem agerent diem magnâ cum lætitiæ ſignificatione, eoſque publicis decretis honoribus concelebrarent; ſive etiam ut ampliſſimis præmiis, & illorum virtutem, & reliquorum ſtudia quaſi quibuſdam ſtimulis excitarent. Verum ſi ullius unquam meritis ejuſmodi honos tribuendus videatur, neminem hercle ex omni numero reperiemus, quem hoc potiſſimum officiorum genere proſequi debeamus præter inviciſſimum Regem Victorium Amedeum, qui omnibus virtutum ornamentis, ac laudum inſignibus,

ab

ab ineunte ætate ad hoc uſque temporis ſpatium eſt cohoneſtatus. Quum tanti igitur Regis in præſentiâ natalem agamus diem, quantâ illum gratulatione, quâ ſtudiorum viciſſitudine colendum exiſtimatis? Quem diem ego ſalutarem potiùs huic florentiſſimæ Civitati, atque Imperio, & Italicis gentibus appellarim, quippe qui fortiſſimum nobis ediderit, ac beneficentiſſimum Principem ſuprà omnium ſpem, ſupra omnium exſpectationem. Sed illud tamen nobis ſummopere dolendum venit, quod illi quidem ampliſſima ſemper pro ſuæ benignitatis, ac potentiæ magnitudine ad nos beneficiis augendos facultas datur; nobis autem ne ad ea quidem pro dignitate commemoranda quidquam præter voluntatem ſuppetit. Hac itaque dumtaxat benevolentiæ remuneratione clementiſſimi Regis benefacta (etſi nullam ipſius meritorum partem attingere poſſimus) grato ſcilicet, ſi non pari, munere proſequamur. Jam indè enim ab initio quum primum vitalem hauſit ſpiritum, veluti fauſtum quoddam ſidus, inſperantibus quidem nobis, ſed jamdudum optantibus, exortum, ſalutem protinus reddidit, incolumitatem attulit, felicitatem comparavit. Quæ ſanè omnia ſummo, ac inaudito Divini Numinis conſilio, & voluntate jam tum geſta, atque proviſa apertiſſimè cognoſcetis.

Conflagraverat pœnè exitialibus bellis opu-

lentiſſima totius Italiæ ſubalpina Regio, ac finitimæ Civitates, quum potentiſſimæ Gallorum, atque Hiſpanorum nationes in hac arenâ de Imperio, ancipiti, & cruentiſſimo marte pugnantes, non tam ſuum, quam Italicum ſanguinem funderent, non tam vires ſuas mutuis cladibus attererēt, quam Italicos agros, oppida, urbes, aſſiduis expugnationibus, incendiis, vaſtationibus deformarent. Et quamvis poſtmodo feralis ille belli turbo detonuiſſet, quod magnis acceptis, illatiſque detrimentis æmuli Reges (quum iam acciſis opibus fines ſuos tueri vix poſſent) parumper conquieſcere ſtatuiſſent: ſollicito tamen metu, atque expectatione populorum mentes trepidare, atque expaveſcere, graviora pericula ſuſpicari, acerbiores calamitates animo providere, quod eo conſilio inter infenſiſſimos hoſtes pax compoſita videbatur, ut reſumtis, reparatiſque viribus maximi belli reliquias inſtaurarent, & acriores, valentioreſque in mutuam perniciem coorirentur. Incubabat enim Gallus Italiæ faucibus, iampridem duabus firmiſſimis arcibus Pinerolio, ac Bodincomago in poteſtatem redactis, quas validiſſimis præſidiis communiverat; ut quamprimùm libuiſſet, ingentia militum agmina poſſet effundere, & ſubalpinam gentem utrimque veluti circumſeſſam ditioni adjicere, atque indè proxima quæque armis adoriri. Plurimi enim ſemper hæc regio ob locornm,

&

& arcium opportunitatem, ubertatem agrorum, militum virtutem Tranſalpinis Regibus ad Italiæ Imperium intereſſe viſa eſt: nec temerè illi ab omni penè memoriâ ſummo ſtudio, effuſiſque pollicitationibus Sabaudorum Principum ſocietatem, & amicitiam expetiverunt.

In hiſce aſperitatibus rerum Carolus Emmanuel II. qui prudentiſſimo conſilio infirmioribus ferendo ſuppetias prævalentem armorum fortunam inclinaverat, ad æquabilitatemque redegerat, nullos ſuſtulerat liberos è Franciſca Aurelianenſi ob immaturam conjugis mortem; ductâque alterâ è Nemoracenſi ſanguine, qui pridem è Sabaudo fonte derivatus erat, ductâ, inquam, Joannâ Baptiſtâ, cujus emendatiſſimæ formæ præſtantia, Regiique generis claritudo in minimâ laude ponendæ videbantur, ſi excelſi, magnique animi virtutes reputarentur; nondum tamen voti compos erat, nec quiſquam avitæ ditionis heres extabat, qui labantem Principis domum, & populorum ſpem, ſalutem, ac tranquillitatem ſuſtentaret. Quamvis enim non deeſſent ex eâdem gente progeniti, qui ad ſummam poteſtatem conſanguinitatis jure vocarentur, eorum tamen ipſorum ambitio acerrimam ac perniciosam Patriæ, ut ſæpius anteà fecerat, contentionem injectura metuebatur. Ea porrò graviſſima ſollicitudinis cauſa, eò cunctorum animi pavore perterriti,

quum vetera exempla colligentes, atrociori cogitatione præciperent. Hærebant enim mentibus inteſtina illa diſſidia inter cognatos Sabaudæ DomûsPrincipes,quum neſcio cujus ſideris afflatu, internecino bello undique exardeſcente, ſubalpinæ urbes ſuo, & externo milite captæ, atque expugnatæ ſunt; atque hæc ipſa fortunatiſſima, & pulcherrima Taurinorum Auguſta diuturnam obſidionem, & extrema omnia perpeſſa eſt. Ità veterum malorum recordatione anxii, non longe abfuturum putabant, quin omnia civili ſanguine redundarent, & vicinorum Regum æmulatione funeſtiſſimum patriæ exitium immineret. Exhorreſco ſanè repetens, Auditores, tanti periculi memoriam, ac reformidat animus in eam delabi cogitationem luctuoſiſſimæ calamitatis. Avertant ſuperi tam nefariam peſtem ab hiſce mœnibus, ſubiectiſque huic Imperio nationibus, ſi quid pietate meruerunt. Verum haud ità multo poſt acerbiſſimi temporis procella, quam è teterrimis illis nubibus jam coëuntibus erupturam formidabamus, prorſus evanuit. O' ſingularem divini Numinis beneficentiam, nulliſque non laudibus immortalitati commendandam! Averterunt ſuperi veſtræ pietatis, atque innocentiæ memores impendentium ærumnarum acerbitates, magnoque id beneficium cumulo adauxerunt. Vix tertius vertitur annus poſt alteras nuptias, cum Auguſtiſſimâ Sabaudi

Sangui-

ſanguinis feminâ, quum puer in lucem editur, ſummâ omnium lætitiâ, & gratulatione; idque eò mirabiliùs accidiſſe viſum eſt, quod non externo ſanguine, non peregrinis affinitatibus opus fuit Sabaudiæ Domui, ut regiæ ſuæ ſtirpis ſobolem propagaret, & avitam imperii poſſeſſionem ſtabiliret. Nulli profectò debuit tam præclaram inſtaurationem ſui: ipſa ſibi in tanto diſcrimine opitulata eſt: ipſa ſe ſe Phœnicis more non in priſtinum modò ſplendorem reſtituit, ſed & maximis auctibus amplificavit.

Verum hîc ſubſtitit Regalis uteri fecunditas, omniſque præterea fetus eſt repreſſus; auſim ſanè dicere, quaſi foret vires ſuas experta natura quid efficere, quid expromere valuiſſet, cunctaſque opes ubertatis ſuæ in uno partu conſumſiſſet, quo certè præſtantiorem, illuſtrioremque alium edere non poſſet: quum illi quidem conſtitutos ſibi fines non liceret egredi, eaque ad optimi protinus perfectionem, abſolutionemque, rectiſſimo quidem curſu, ſed lenta feſtinatione perveniſſet. Neque porrò præſtitutum cæteris intervallum ſatis eſſe videbatur ad tanti operis effectionem; atque adeò ut plenius intelligeremus quam incredibili munere eſſemus ornandi, commovenda omninò erat expectatio noſtra diuturnitate temporis, ac deſideria acrius inflammanda. Neque enim ſolum inter Sabaudos Heroas maximum, ſed & poten-

tiſſimum Regem eramus accepturi, qui clariſſimis Majorum titulis duorum Regnorum coronas, & poſſeſſionem additurus eſſet.

Satis igitur, ſuperque factum eſt noſtris votis, precibus, expoſtulationibus, nec ſecuritati modo, ſed & amplitudini noſtræ, ac gloriæ conſultum eſt. Naſceris enim, Auguſtiſſime Princeps, jamdudum ab amantiſſimis populis exoptate, eoque ſuperûm conſilio naſceris, ut Avos tuos ingentibus factis non æquares ſolum, ſed vinceres, ut terrorem imminentis belli, non tam averteres, quàm hoſtibus inferres; ut paternæ ditionis fines non tam tuereris, quàm longè, latèque propagares. Naſceris autem egregià corporis ſpecie, tantâque vultus venuſtate cui ſimul intermixta formæ dignitas, ac majeſtas inſideret, ut omnes, qui te conſpicarentur, admiratione percelleres: quum in ore, atque oculis tuis emineret nativa illa, atque effuſa benignitas, & invicta animi fortitudo, quas perpetuâ vitâ mirum in modum præſtitiſti. Ità primo illius ortu, Auditores, certiſſima vobis ſpes ſalutis, atque incolumitatis affulſit, & futuræ ſub hoc Principe fauſtitatis expectatio. Hæc ſcilicet veriſſima rerum auguria futurarum, non crinitorum ſiderum flammæ, non ſomniorum divinationes, non oracula, non fabuloſa portenta illius originem nobilitarunt. Ne-

que

que ſanè vos fefellit opinio, quam jam indè ab initio præceperatis; vos enim ſpectatores, ſocijque fuiſtis maximarum rerum, quas pace, belloque geſſit, ut vos florentes, ac beati, pleniſſimam quietis, ac tranquillitatis vitam traduceretis. Porro bellicæ ipſius laudes tantæ ſunt, ut fidem omnem ſuperent, facultatemque dicendi: ecquod enim orationis flumen, quæ tanta ingenij ſollertia, atque ubertas, quæ militaria illius facinora exornare poſſit? Enimvero quæ ità res alias antecellunt, ut humanæ conditionis modum egrediantur, non vulgaris eſt opus intelligentiæ, atque facundiæ verbis exponere. Quapropter Homerus apud veteres ſapientiæ opinionem maximam conſecutus, quum omnia accuratiſſimè deſcriberet, admirandam Helenæ pulchritudinem, quæ Troicum bellum, ac divini carminis argumentum conflaverat, non eſt auſus attingere, quaſi reverâ ſe imparem ſcribendo eſſe fateretur. Proindè longiſſimè abſum ab ea cogitatione, quâ tantum mihi tribuam, ut invictiſſimi Regis facta dicendo me conſequi poſſe exiſtimem. Prætereà ecquid ego vobis illa commemorem, qui omnia, aut veſtris oculis conſpicati eſtis, aut ad ea gerenda fortem, fidelemque operam contuliſtis?

Nec ſanè vos ab hujuſmodi laudibus alienos putem, qui ſub tanto Duce merentes, ijſdem periculis, prælijs, obſidionibus, victorijs

ctorijs perfuncti eſtis. Tantum igitur ſumma rerum capita, earumque incredibilem excellentiam perſequamur. Nam profectò illius conſilij celeritas, excelſique animi magnitudo, & abſolutiſſima rei militaris ſcientia, inter dubios bellorum eventus, incertoſque exitus præliorum, tam prudenter omnia moderatæ ſunt, ut ſemper ampliſſimum virtutis ſuæ caperet fructum, & vel hoſtibus victis bellum conficeret, vel fortunæ culpam ſtrenuo aliquo facinore emendaret. Mihi autem medîus fidius, hæc ipſa animo reputanti, tam magnifica, & illuſtria videri ſolent, ut neminem, aut certè pauciſſimos ex omni ſæculorum ætate reperiam, non equidem anteferendos, ſed jure, ac merito comparandos. Multis ſiquidem militum numerus, aut delectus, & exercitatio, vel armorum genus ad propulſanda, & inferenda vulnera longè præſtantius, aut ignota quædam vis ad caſum belli, fortunamque felix, ſecundiſſimos eventus dedit, ſemperque in acie comitata eſt; præſertim ubi ſigna contulerint cum ignavis hoſtibus, aut ſæpius anteà profligatis, qui proindè ſegniores evaſerint ad ſubeundam certaminis aleam. Nunc autem ſi clariſſimi Regis facta revocemus, ecquis non videt illum cum promptiſſimis ad pugnandum adverſarijs, uſu rerum bellica-

rum

rum peritiſſimis, commeatu, pecunia, & militum numero abundantibus (quippè qui opulentiſſimi Regni viribus nitebantur) diù, ac fortiter de libertate, de gloria, de imperio dimicaſſe? At quibus tandem opibus, quibus præſidijs, quo armorum genere, quâ fortunâ? Cum exiguâ bellatorum manu, tenuiſſimis ſociorum fultus auxilijs, ſæpè commeatus inopiâ conflictatus, pari momento ſortis, & armorum adverſus hoſtes ſuperioribus victorijs præferoces quid tentaverit, quid effecerit, quid aſſecutus ſit, vos planè vidiſtis, ac vehementer adhuc admiramini, quum in partem periculorum, gloriæque veneritis. Magnum quidem fuiſſet eos tantùm finibus prohibere, longè majus prælio ſuperare, maximum verò, ac fortaſſe inſperatum, ità bello vincere, ut amiſſa reciperentur. Quid erit pacis leges dicere, ac florentiſſimum regnum obtinere? O' eximiam in rebus providendis, adminiſtrandiſque ſapientiam! O' inauditam animi firmitudinem, ac robur invictum! Non aſperis rebus fractus, non adverſâ fortunâ perterritus, non auxiliorum longinquitate perculſus, priſtinam ſemper retinuit dignitatem, atque conſtantiam; atque ità acerrimos hoſtium conatus eluſit, ità aſſiduis prœlijs fatigavit, ità illorum vires attrivit, ut ne veſtigium quidem progredi ſineret, ac ſummo tandem certamine

con-

congreſſus funderet, fugaretque; ad extremum totâ pulſos Italia viciſſim eos in ſuis finibus divexaret. At longè aliâ, quàm ipſi experti fuerant, belli fortunâ. Fortunâ, inquam? an potiùs providentia, fortitudine, dexteritate, quas perpetuas habuit comites, atque adminiſtras rerum gerendarum; quarum nullam profectò ſibi partem caſus, nullam temeritas vindicare poſſunt; quum adverſus eorum impetus, inclinationemque communium temporum verâ ſemper virtute conniſus præter omnium opinionem vicerit. Non, inquam, ſatis habuit, Auditores, populos ſuos ab ortûs initio, perque omnem ætatis curſum ſalvos, ac ſoſpites è maximis periculis explicaſſe, niſi etiam perpetuo incolumes præſtaret. Non modò enim duas firmiſſimas arces, quæ noſtræ, & Italicæ libertati exitium minabantur, adactis ad conſenſionem adverſarijs funditùs diruit, atque evertit: verum etiam ex hoſtico tria munitiſſima cepit oppida, cum circumjectis regionibus; Ocellum, Fineſterræ, & Martis-Fanum, quibus obiectis propugnaculis ſuorum fortunas, ac tecta defenderet. Hic fuit belli exitus converſo in hoſtes armorum impetu, quem nemo unquam auſus fuiſſet optare, ut ij nempe qui prorſus omnia nobis venerant erepturi, qui nobis perniciem, aut miſerrimam ſervitutem machinabantur, quantâ maximâ poterant rerum molitione,
cum

cum inſtructiſſimo, ſi unquam aliàs, exercitu, ac bellico apparatu cujus terror univerſam latè pervaſerat Italiam, eò tandem victi adigerentur, ut ipſi nobis præſidia, ac munimenta darent, quibus ſalutem, ac res noſtras adverſus eorum impetus tueremur. Quid? quod ad hæc commoda ingens potentiæ cumulus acceſſit, exteris Regnis ad avitum imperium adjunctis; ità ut ignotæ antea gentes ſe ſe in fidem, & clientelam darent, ac terrâ, marique Sabaudi nominis gloria propagaretur. Hæccine potuit unius hominis divina mens,atque virtus tantâ celeritate conficere, ut vix in animum inducere poſſimus, niſi omnia inſpectantibus nobis ad exitum perducta fuiſſent?

At quid de pacis artibus ſatis ornatè dicere poſſim, quibus ille ſervatam, auctamque rempublicam eâ felicitate donavit, quam nobis exteræ nationes, ác poſteri merito invidebunt? Sunt enim illæ, quod & vos ſentire exiſtimo, non minùs laudabiles, & fructuoſæ, ac fortaſſe bellicis anteponendæ; quamquam iſtæ velut in amplioribus Theatris propoſitæ, inuſitato quodam ſplendore perſtringant oculorum aciem, & multò ambitioſiùs ad hominum exiſtimationem dimanare videantur. Nec hercle Rex Sapientiſſimus pacis munia, & temperandarum Civitatum ſcientiam prætermiſit, quâ non mediocriter ſe Populis ſuis profuturum per-

ſpi-

ſpiciebat. Quis enim ſanctioribus legibus publica jura conſtituit? Quis unquam tenacior incorruptæ Religionis fuit? Quis illius colendæ, ac propagandæ ſtudioſior, vel cum inſigni rerum ſuarum detrimento? ita ut Britannici Regni hereditatem aſpernaretur tantamque utilitatis, gloriæ, opum, potentiæ acceſſionem contemneret, ne ab avita Religione deſciſceret. Quæ animi excelſitas huic comparari poteſt? Quodnam illuſtrius pietatis monumentum reperietis? nemo autem juſtitiæ, & æquitatis fuit obſervantior. Quid enim unquam illo Rege licuit impotentiæ, libidini, fraudibus, improbitati? Ità ſanè æquabilem erga omnes communis juris rationem tenet, ut nulla, niſi innocentiæ prœmia, nulla, niſi ſceleri, ſupplicia ſint attributa. Jam verò quanto labore, quantoque ſtudio vetuſtis legibus colligendis, atque emendandis incumbit? quibus quaſi validiſſimis firmamentis publicæ utilitatis integerrimam Regni ſui adminiſtrationem tuetur, ac ſuſtinet. Prætereà tantam in illo clementiam, ac benignitatem admiramur, quantam nemo alius præſtitit, quem fortuna in tantis opibus, atque in ampliſſimo illo ſtatu collocavit. Ità enim Regiam majeſtatem, atque excellentiam ad ſublevanda vel tenuiſſimorum hominum incommoda demittit, tantaque omnes excipit comitate, ut ſe Patrem ſuorum potiùs,

quàm

quàm Principem gerat ; quod & luculentiſſimâ illâ munificentiâ comprobavit, quum redactis in tranquillum rebus, tributa, quæ populis imperata fuerant, ſubſidia ſcilicet belli gerendi, ea, nullo prorſus finitimorum Regum exemplo, liberaliter condonavit. Quâ quidem de re, niſi ad exitum feſtinaret oratio, quàm copioſus eſſet dicendi locus! Quantum enim videtur nativum, atque inſanabile malum, pecuniæ nimirum cupiditatem vincere, cujus illecebris nihil blandius, nihil pernicioſius! Quàm verò difficile, atque arduum in eo, qui ſummam habeat poteſtatem pecuniæ conquirendæ ſtudium ſic temperare, ut illud publici commodi, gloriæ, ſecuritatis, non privatæ luxuriæ, magnificentiæ, ambitionis modo, ac fine metiatur? Ità ille ſuæ quidem nullam, noſtræ autem utilitatis accuratiſſimam rationem ducens, rerum omnium copiam, & fortunæ abundantiam ſuppeditavit, ut nos altiſſimâ quiete, atque otio perfrueremur, ipſe in ſe omnem conſulendi, proſpiciendique induſtriam, ſollicitudinem, laboremque reciperet: ità ut nullum propè ad hoc vitæ ſpatium, noſtrâ quidem cauſsâ, otioſum, ac tranquillum ſpiritum duxerit. Quin & ampliora populis ſuis diſciplinarum omnium adjumenta quæſivit tanto ſumtu, tantâque magnificentiâ, quam videtis, ut eorum felicitatem

præ-

præſidiis omnibus communiret. Prætereo autem magnorum operum ſubſtructiones partim ad regionis ornatum, partim ad cuſtodiam, firmitatemque ſuſcepras: ſatis enim vos intellexiſſe video tantum Regem ſingulari quodam Dei conceſſu, atque munere nobis exortum, aut potiùs è cælo delapſum, ut nos bonis omnibus afficeret, ac perpetuò locupletaret. Cum illo ſiquidem natæ ſunt nobis incolumitas, quies, fauſtitas, gloria, dignitas, amplitudo; & quæcumque hominibus in hac vitâ expetenda videntur commoda, atque ornamenta Reipublicæ, eorum omnium ſubita quædã,atq;inſperata maturitas in jucundiſſimum illud tempus erupit. Quantâ igitur animorum alacritate, quantâ ſignificatione lætitiæ ſoſpitalem hunc diem concelebrabimus, qui nobis fauſtus, felix, ac fortunatus illuxit! quàm multis, præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendanda tanti ortûs primordia,quæ funeſtiſſimà protinus impendentium calamitatum diſcuſsâ caligine, optatiſſimam nobis lucem attulerunt! Verùm ut id proprium, ac perpetuum eſſe poſſit huic imperio, quod à fati faucibus ereptum, atque ſervatũ, nunc magnis opibus auctum, & amplificatũ videmus, ſummis precibus expoſcendum ſupereſt ab immortali numine, ut diutiſſimè nobis ſinat incolumem ſupereſſe Auguſtiſſimum Regem, Patriæ ſervatorem, totius Italiæ vindicem, & malorum

omnium (ità dixerim) Averruncum, ut perenne fluat jugis iſte beneficentiæ fons, neu circumſcripto reliquis hominibus vitæ curriculo, nec tam anguſtis ſpatiis in hoc ſecundiſſimo maximarum rerum curſu ſpes noſtræ definiantur. Ut enim in cæteris rebus communem naſcendi, vivendique conditionem longè ab illo, multumque ſuperatam divino conſilio, & voluntate perſpeximus; ità in hoc quoque genere conſtitutis humanæ naturæ legibus derogari conſentaneum foret; ut ſuis omnibus numeris, & partibus iam indè cœptum dari beneficium expleretur. O' quàm optandum ſanè foret, ut eiuſmodi homines, qui penitùs expreſſam divinæ benignitatis imaginem in terris referunt, ſempiterno ævo fruerentur; ut inexpugnabiles, ut ſepti atque muniti, ſummotis malis omnibus, & cumulatam bonorum omnium complexione vitam ageremus! Verùm non hîc ea nobis eſt comparata felicitas, nec tantum ſperare mortalibus datum eſt. Unum igitur id efficere poſſumus, id enixè conabimur, ut aſſiduis obſecrationibus, ac votis pro munificentiſſimi Principis ſalute, florentiſſimũ iſtũ Reip. ſtatum, commoda, dignitatem, quæ ab illius ortu profecta, & exaggerata vidimus, quàm diutiſſimè fieri poterit, retineamus.

IN NUPTIJS

CAROLI EMMANUELIS

Subalpinorum Principis

CUM

LUDOVICA CHRISTINA

E' Sulbacenſium Comitum
Palatinorum Familia.

ORATIO IV.

Habita eodem Anno in Aula Taurinenſis Lycei.

SI tantùm illa nobis optantibus benè, ac feliciter eveniſſent, quæ continenter à Divis immortalibus pro incolumitate Reipublicæ precabamur, meritò illis ingentes haberemus gratias, & læti, atque alacres viciſſim pro beneficij magnitudine gratularemur. Ecquid autem, quum juſtiſſima vota, quæ pro Civium ſalute, ac regni hujus ſtabilitate nuncupavimus, cumulatiſſimè ſuperarint, eaque nobis beneficia inſperatâ benignitate contulerint, quæ nunquam ipſi vel hoc tempore auſi fuiſſemus optare? Si enim repetatis animo acerbam ſimul, & jucundam pro-

proximi temporis recordationem, ex quo Auguſtiſſimus Rex Victorius Amedeus Imperij gubernacula tractare cœpit, obverſabuntur vobis ante oculos duæ turbulentiſſimæ tempeſtates, quibus navim iſtam funditus evertendam obruendamque ſollicitè ſuſpicabimini, eaque demum pericula celerius omnium opinione à veſtris cervicibus fortiſſimi Regis virtute depulſa perſpicietis. Præterea non modo lucem ſalutemque bis patriæ redditam, ac reſtitutam videbitis, ſed firmiſſimis etiam præſidijs munitam in poſterum, ac ſtabilitam Rempublicam armorum firmamentis, optimarum legum inſtitutis, pulcherrimarum artium diſciplinis; denique prolatos Imperij fines, amplificatas Reipublicæ copias, magnitudinem, dignitatem: Eò nempè loci rem divino ipſius conſilio adductam fuiſſe, ut neminem quidem amplius nos reformidemus, cæteris vero terrorem inijcere poſſimus. Quod unum ſupererat optandum, ut ſtabilem, ac diuturnam tot tantorumque bonorum poſſeſſionem retineremus, uti nempe Subalpinorum Principis conjugio peropportunè conſtitueretur Regiæ ſobolis, tamque mitis imperij perpetuitas (à quo fonte derivata fauſtitas omnis in patriam eſt) id quoque ſuperi volentes, ac propitij non ſolum pro noſtri deſiderij modo, ſed magna cum acceſſione tribuerunt; itaut ſpes noſtras diuturnitate

expectationis pœne labantes confirmarint, erexerintque ad jucundiſſimam certiſſimamque opinionem, & firmitatis, & incrementi præſentium commodorum. Nihil igitur magnificentius, nil optabilius animo concipere poteramus, quod non hujus diei fortuna largita ſit: quamobrem quum tantâ lætitiâ aucti fuerimus ob felicem communium votorum exitum, ac ſuperiorum temporum proſperitates, inſatiabili ſanè gaudio compleri debemus ob novam iſtam, ac multo cæteris ampliorem, quâ Regiæ ſtirpis propagatio conſtituta eſt, quâque ingenti prorſus incremento res noſtras, & pacis, bellique artes, quibus illæ nituntur, auctum iri deinceps intelligemus.

Id autem ego ſatis exploratum, & cognitum fore arbitror reputanti, egregiam natorum indolem è parentum ſatu, atque conceptu primo editam, & procreatam, in cætera vitæ ratione ad magnas res gerendas præcipuum afferre momentum; propterea quod è paterno, maternoque ſanguine liberis, & initia vivendi, & ingenij modus, ac temperatio comparata ſit. Semper enim parentum præclara virtus in filijs elucere, & magnis auctibus creſcere videtur, ſi ut iſti ad gloriam nati ſuſceptique ſunt, ita ad laudem, & honeſtatem inſtituti adoleſcant. Neque porrò inficiari poſſum ſæpè liberos à perenni conteſtataque Avorum fortitudi-

ne

ne degeneraſſe turpi ignaviâ, atque ſocordiâ; eoque veluti dehoneſtamento familiæ veteres majorum laudes obtrivifſe. Verùm ab adoleſcentibus in periculoſo illo ætatis flexu depravatæ voluntatis vitio fœda iſta vitæ macula ſuſcipi ſolet, quum flagitioſâ inſtitutione, aut conſuetudine, aut exemplis abducti ad nequitiam, verum ſanguinem depravarint, vitioſumque collegerint; quo tandem fit, ut inſitum innatumque illud generoſæ ſtirpis bonum deterrimæ labis contagio corrumpatur. Aſt ubi caſtiſſima diſciplina, cuſtos præſeſque virtutis, ad eximiæ indolis cuſtodiam advigilarit, effloreſcet iſta, ac redundabit ornamentis omnibus, magnoque augebit cumulo domeſticæ gloriæ claritatem. Ecquis ergo mirabitur Sabaudos Principes, quorum vivit adhuc immortalis memoria, maximis rebus geſtis claruiſſe; itaut eorum longè latèque diffuſa laus Avitam amplitudinem illuſtrarit? Nemini mirum id videri debet; inſitum illud bonum fuit, ingeneratum illud decus à ſtirpe generis, & ſeminis, & honeſtiſſimæ educationis præſidio conſervatum: quippe quod eorum genus è duplici ſtirpe ſatum, & incorruptè propagatum fuerit, utrâque opibus æquè, ac virtute clariſſimâ in Germaniæ Regno; quibus herclè nulla præterea illic illuſtrior, & glorioſior; quidquid autem nobilitatis enitet ſplendore, ab ijs fon-

tibus dimanavit. Paternus nimirum ſanguis è Saxoniæ Regia, ac antiquiſſimâ Familiâ, quæ primùm opulentiſſimæ illius regionis per 170. annos dominatum tenuit Regij honoris, ac poteſtatis inſignibus ornata; ac poſtmodo ad ſummum Romani Imperij faſtigium evecta diu multumque dominata eſt: quo temporis curriculo plurimos edidit Reges, ac Imperatores, quorum illuſtribus glorioſiſque factis vix annalium monumenta ſufficiunt. Ex hac auguſtiſſima gente prognatus Princeps ille Sabaudi Sanguinis Beroldus in genitos à ſe Heroas longa ſobolis ſerie Regiam illam animi celſitudinem, virtutemque transfudit.

Neque verò ab hoc tantum generis exordio, quod quidem per ſe ampliſſimum, & magnarum rerum in poſteris cauſſa, Sabaudiæ Principes ortum habuerunt; ſed à florentiſſimæ quoque Familiæ nobilitate alteram originis traxere partem, è Bavaricâ nempe proſapiâ, quæ diutiſſimè Bavariæ, ac finitimis gentibus Regio nomine imperavit, totique aliquandiù Germaniæ præfuit, Saxonicæ tantum ſtirpi, & vetuſtate generis, atque ſplendore, & potentiæ magnitudine, ac firmitate comparanda. Inde autem Sabaudorum Principum Mater exorta, Catharina illa Schirenſis Palatina Beroldo in matrimonium collocata eſt. Ità demum ex utriuſque ſanguinis claritate con-

jun-

junctâ, Sabaudiæ gens dominatrix in lucem edita fuit, & ad ſimilem potentiæ virtutiſque amplitudinem in ſeptingenteſimum annum propagata eſt. Si quid igitur præclarum ac ſingulare habuit Germanica natio, nullis gentibus de belli gloria, de imperij vetuſtate concedens; id omne prorſus ad regiæ iſtius ſobolis procreationem, ut excellens quidpiam omni genere laudis oriretur, non ſine divino numine, ac voluntate confluxit; quemadmodum è geminatis, conſociatiſque luminibus illuſtrior ſplendor elucere ſolet, qui originis ſuæ auctores claritatis magnitudine multum antecellit.

Quamobrem, etſi non eadem ipſi poſſeſſionum latitudo ac parentibus ſuis obveniſſet, ad eam tamen fortunæ altitudinem venit multis rebus fortiter, ſapienterque geſtis, ut mirum profecto videatur eò ipſam humanis viribus potuiſſe contendere; nec quidquam ferociſſimos populos, pugnaciſſimas gentes, potentiſſimos reges, ac imperatores obſtare valuiſſe, quò minus ultra citraque Alpes latiſſimè imperii terminos promoveret. Quid? quod copiis ſuis, victoriis, triumphis, legibus, fœderibus, dominatione, & finitimas, & remotiſſimas Europæ regiones, Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Germaniam, Angliam, Græciam, Thraciam, Myſiam, Syriam, Aſiæ denique litora, & vicinas inſulas, ac regna complevit, & totum terrarum orbem immortali nominis

famâ peragravit? Ad hunc modum illa clariſſimis parentum luminibus obſtruxit, & ampliſſimas laudes amplioribus factis obſcuravit, quum toto illo longiſſimi temporis intervallo quot Principes edidit, tot heroas procrearit; quot prælia commiſit, tot victorias reportarit; quot bella ſuſcepit, tot provincias ad imperium adjunxerit; quot res domi, militiæque geſſit, tot æterna virtutum inſignia ac monumenta reliquerit. Nunquam enim acer ille, ac vividus ingeneratæ fortitudinis ardor elanguit, quam ſibi omnes eadem è familia geniti jam inde ab initio ad hanc uſque ætatem veluti lampada per manus tradiderunt, cum eximiis animi dotibus, & ad pulcherrimam reipublicæ adminiſtrationem neceſſariis conjugatam, pietate nimirum, atque prudentiâ; in quibus nulla alia gens æquè ac Sabauda tam perpetuò & conſtanter excelluit. In qua nempe haud ullum reperies, quum triginta tres omninò regnarint, aut impium, aut ſtolidum, aut ignavum, ut Limneus Germanus ſcriptor animadvertit, & rerum geſtarum memoria litteris conſignata demonſtrat; quum in cæteris Regum, aut Imperatorum familiis haud ſanè pauci vel pietatis, vel conſilii, vel fortitudinis expertes inveniantur. Quid harum dico virtutum expertes? Bene ſecum populi agi putaſſent, ſi tales omninò Principes habuiſſent. At fuere inter illos immaniſſima, ac fœdiſſima monſtra ignaviæ,

ſtul-

ſtultitiæ, crudelitatis. Non modo autem hæc immaniſſima vitia à noſtris Principibus abfuerunt, verum etiam contrariæ virtutes in eorum ſobole floruerunt. Quî verò non id ſingulare ac propè divinum exiſtimemus? Tot vixiſſe homines, tam diverſos, ſeptingentorum annorum ſpatio, nec unquam ingenium ac mores illorum, aut malæ conſuetudinis corruptelâ, aut vitiorum illecebris atque exemplis depravatos eſſe; ſed conſtantiſſimè omnes in pulcherrima vitæ ratione perſeveraſſe: itaut nihil aliud ipſis præter boni viri, atque optimi Principis officium fuiſſe propoſitum videatur. Ad hunc igitur modum altiſſimis firmata radicibus per longam generis ſucceſsionem ſtirpsilla plenæ abſolutæque virtutis, uſque ad fortiſſimum Regem Victorium Amedeum adolevit, à quo majorum opes mirificè auctas, cumulataſque videmus, & florentiſſima ditione, & regali nomine, ac majeſtate. Hoc autem parente procreatus ſubalpinorum Princeps Carolus Emmanuel; paternæ atque avitæ fortitudinis, ſapientiæ, pietatis heres, optimiſque artibus ad regnandum inſtitutus, quàm bonâ ſpe nobis prælucet in poſterum! quàm certò jam nunc augurari poſſumus, nihil unquam de noſtra felicitate immutandum fore! quàm ſtabili ſecuritatis fundamento ſpes noſtræ, & cogitationes poſitæ conquieſcunt! hiſce enim auſpicatiſſimis nuptiis, quibus tantarum opum atque

vir-

virtutum poſſeſſorem gignere exoptat, qui & avi & parentis in locum, ſi quid ipſis humanitus acciderit, ſufficiatur, quid aliud nobis ſpondet, quid noſtris nepotibus pollicetur, niſi diutiſſimum atque immortalem fructum ſplendidæ hujus florentiſquæ fortunæ?

Neque verò iis eſt circum ſcripta finibus futurorum ſpes, cujus ipſe nobis eſt auctor ac Princeps, ut ſtabilem dumtaxat imperij moderationem, & æquabilem rerum adeò proſperarum diuturnitatem ſpondeat; ſed multo longius progredi videtur, itaut hæc quibus fruimur commoda multis etiam fore partibus auctiora non opinione tantum auguremur, ſed certiore ſpe atque animo præſumamus. Ipſe enim ab eo parente genitus, qui avorum laudes, & fortia facta rerum ſuarum claritudine ſuperavit, paternam quidem virtutem & indolis præſtantiâ, & imitationis aſſiduitate conſecutus eſt; ſed illam adeo, quamvis adultam atque perfectam, firmabit altiùs, cumulabitque acceſſionibus ſuis, jam nunc ſuis auſpiciis ad generis caput & exordium revocatam.

Namque iterum è Bavarico ſanguine lectiſſima virgo in matrimonium ducitur, conciliaturque prima illa parentum conjunctio, atque ſocietas, quam ſuo jure nunc ſibi repoſcit Sabaudia; quippe quòd quum illa jampridem Amedei VIII. primi Ducis ſui ſanguinem Palatino generi perpetuando refu-

derit

derit, eundem nunc merito ad primi Regis ſui Victorii Amedei ſobolem propagandam repetere videbatur.

Quapropter recreata progenies, & inſtaurata ad priſcæ originis inſtar, iiſdemque educata nutrimentis, ipſa ſeſe roborabit, & novas colliget vires, quibus præclarè fundata felicitatis noſtræ ſtabilitas haudquaquam vacillatura eſt. Enimvero quum flos ille è nativo caudice, feliciſque arboris rurſus inſito germine prognatus eruperit, ſuccreverit, adoleveritque, vigebit firmius, & longè uberrimos feret fructus, veluti renovatâ perpetuo floreſcentis, ac frugiferæ arboris juventute. Idque eò mirabilius, ac opportunius accidiſſe viſum eſt, quò præſentius infauſtæ viciſſitudinis periculum metuebamus. Id enim commune eſt rerum humanarum fatum, ut quum ad ſummum fortunæ venerint, paullatim occidant, & conſeneſcant, divino planè conſilio, ne ſecundis rebus inflati efferamur inſolentius, & humanitatem exuamus. Nam longè demiſſius ſentire cogimur, ſi vel maximè auctas exaggerataſque fortunas, & firmiſſimo potentiæ muro ſeptas labefactari tandem, ac interire videamus. Quis autem eſt qui neſciat, regna omnia & imperia hoc fato miſerabiliter everſa corruiſſe? quum nihil tale ipſis timendum foret, ac in altiorem locum edita viderentur, quàm ut exitialibus fortunæ ventis circumflari, & convelli poſſent?

Quum

Quum itaque rem Sabaudam à Victorio Amedeo Rege in altiſſimo gradu poſitam cerneremus, veniebat nobis in mentem ſubvereri, ne deinceps cum infeſtis caſibus dimicandum foret; unde fatales demum impenderent exitus, communi humanitatis ſorte propediem extimeſcendi. At nunc ſublatus eſt omnis periculi metus, nec modo nulla amiſimus præſidia publicæ ſecuritatis, ſed & nova, ac firmiora nacti ſumus. O feliciſſimum tantæ trepidationis, ac ſollicitudinis eventum, quem ſibi nemo unus polliceri auſus fuiſſet!

Ita verò jam nunc conſtituta eſt, ac fundata Reſpublica ab optimo Rege, quum militaribus, tum civilibus inſtitutis, ut alius nullus jam reliquus ſit ſucceſſoribus labor, quàm ut ejus veſtigijs perſequendis dent operam, ut bene cœptum rectiſſimæ gubernationis curſum conficiant, & hoc Imperij Domicilium ſartum tectumque ab omni periculo, & belli offenſione conſervent. Et quidem Regius Princeps, cui Regni hujus hereditas divinitus attributa eſt, tot tamque illuſtria excellentis animi edidit indicia, in quo miram ſollertiam, ingenij celeritatem, animi celſitudinem, ac robur, ſingularem denique prudentiam, vel in ipſo ætatis flore perſpeximus, ut quanta provectiori ætate virtutis maturitas, quantæque impoſterum ſperandæ ſint præſtantis ingenij, atque

que induſtriæ fruges, ſatis liquidò judicare poſſimus. Quum enim illum natura ipſa finxerit ad ſapientiam, gravitatem, atque juſtitiam, quanta demum ad haſce virtutes fiet acceſſio præclariſſima conſuetudine, atque doctrina? Quantum verò ſapientiſſimi Parentis domeſticâ, & aſſiduâ diſciplinâ eruditum formatumque ad regendos populos, in civili ſcientia profeciſſe exiſtimandum eſt? quum non ipſis modo, & quidem arcanis graviſſimiſque præceptis ex interiori doctrina depromptis inſtructiſſimus ſit, ſed effectum quoque eorundem complurium negotiorum uſu percipiat; quum Patrem tot populos diſſitaſque gentes tam ſanctè, & prudenter moderari videat, exteroſque Reges, ac nationes in officio continere, ad ſocietatem ineundam allicere, ad ſuum patriæque commodum flectere. Quæ quidem cognitionis ſemina, quum quotidie alantur augeſcantque diligentiſsimâ culturâ, & inſtitutione, magno cum fructu maturata pubeſcent, ac proinde in liberis deinceps, & nepotibus, propagato generis traduce, ingentem gloriæ ſegetem paritura ſunt.

Ad hanc verò magnopere neceſſariam, & ſalutarem Civibus procurandæ Reipublicæ rationem potiſsimum ipſius adjumentum, rem nempe militarem adjunxit, quâ omnia, quibus Imperium continetur, & ſtatus Civitatis, adverſus externam vim, &

ſubita

ſubita belli muniuntur. Ac ea quidem bellicæ rei diſciplina, & peritia, quam prope ab incunabulis hauſit, cum eximia fortitudine conjuncta eſt, quæ animi virtus ſine ulla dubitatione cunctis Principibus è Sabauda ſtirpe prognatis penitus inſita videtur, quemadmodum ætatum omnium memoria, & rerum geſtarum monumenta confirmant. Hanc ille virtutis indolem, & exercitationibus, & præceptis excoluit; nam prudentiſsimi Patris inſtituto ab ineunte adoleſcentia ſe ſe totum bellicis artibus dedidit, & corporis artus, ac membra continuis venationum laboribus ad belli patientiam obduravit. Porrò in privata armorum ratione nemo celerius didicit, nemo dexterius poſſit nunc ictum exire, nunc inferre, & modo directa fronte pugnare, & toto impetu conniti, modò ſimulatè, & per inſidias inexpectato vulnere adverſarium conficere. Quâ verò peritiâ, quâ dexteritate conſuevit equum habenis flectere, in gyrum ducere, & nunc concitato curſu admittere, interdum ferocitate exultantem frœnis cohibere! Ad hæc accuratiſſimè univerſam belli gerendi rationem didicit, muniendarum, & oppugnandarum Urbium omni bellico apparatu deſcripto, oculiſque ſubjecto, inſtruendi exercitus, & collatis ſignis dimicandi, commutandæ aciei ordinem, & ad varios præliorum exitus dirigendæ. Quid plu-

plura? Tandem hæc omnia non nudis tantum præceptionibus, ſed uſu ipſo ſæpius, & experientiâ comperit, quamvis in efficta belli imagine ad ludum, & voluptatem; quum ſcilicet ante Regiam Domum ad ferarum venationes extructam in latiſſimo campo exercitus decucurrit, & partitæ bifariam acies infeſtis ſignis pedem contulerunt. Ipſe inter primos lætitiâ exultans, quod pugnandi ſibi daretur occaſio, minacibus oculis, & vultu ferociam præſeferente manum conſeruit, hoſtemque in fugam verſum in oppidulum compulit, ac rejecit. Communitum enim fuerat caſtellum militari more, excitatis muris è materia, atque aggere, foſsâque prætentâ, & in ea media propugnaculis eductis, obverſiſque in hoſtem ad ejus vim, & impetum retardandum. Huc è fugâ ſe receperat adverſa acies; huc omnis belli moles converſa eſt, & objectum propugnaculum ſummis viribus oppugnari cœptum, quamvis obſeſſi magnam vim miſſilium ignium in ſubeuntes jacularentur. Non expavit fortiſſimus adoleſcens, non exhorruit hoſtium tela, quamquam ea primus eſſet excepturus, quippe qui ſuorum agmen duceret; immo verò quum ipſum in tanto diſcrimine ejus juventæ moderator, & cuſtos protegere conatus eſſet, ne injectis ignibus ambureretur, ſubiratus rejecit tegmen [ſatis quippe ſeptus,

atque

atque munitus excelſi, & invicti animi robore) ac audaciſſimè cum ſuis in adverſariorum munitiones irrupit, quibus ingenti cum alacritate potitus eſt. Quod ſi hanc ille à teneris animi firmitatem, & incredibilem vim præ ſe tulit, quid maturiſſima demum ætate, quid obfirmatis jam viribus, quid bellico pulvere militaris rei peritiam adjuvante? Quas enim victorias, quos triumphos non ſibi polliceri poſſit ſingularis illa virtus, & excellens animi magnitudo?

Poſtremo ad noſtras haſce artes, & ſtudia litterarum, ex quibus etiam non parum utilitatis effloreſcit ad juvandam, augendam, ornandamque rempublicam, ſi rectè atque ordine tractentur, magnam acceſſionem fortunæ, & dignitatis hæc opportunitas adjunctura eſt; quandoquidem patrocinij ac defenſionis perpetuitatem nacta ſunt. Et ſi enim ſatis regio munere amplificata, & præſidio tecta videantur, eorum tamen diuturnitati conſulendum erat, ut altiſſimas radices agerent, nec ullum deinceps caſum extimeſcerent, quo tanti emolumenti fructus interciperetur. At eam impoſterum firmitatem, & robur habebunt, ut nullâ rerum, aut fortunæ inclinatione interitura ſint; quippe quæ magnis ſubſidiis fulta ſuſtineantur, Regis nimirum auctoritate, ac effuſiſſimâ erga litteratos benevolentiâ, & benigniſſimi Principis pari ſtudio erga optimas diſciplinas, earumque cul-

tores; ad quem adeo paternæ hujus gloriæ hereditas, & factorum imitatio pertinet, ut eam ipſe ſuâ operâ ſummiſque viribus auxerit, & ornarit. Quod enim ejus ætatis tempus à nobiliſſimis artibus excolendis, & tractandis alienum fuit? Latinis quidem litteris non mediocriter imbutus ad Hiſtoriæ, & Phyſiologiæ, & Mathematicæ doctrinæ ſcientiam, vim illam acutiſſimæ mentis, & celerrimè omnia perſpicientis admovit; quo in ſtudio mirum eſt quantos ille progreſſus fecerit plurimas inter maximaſque occupationes, quæ ad militaris civiliſque rei tractationem ſpectant. Nullæ, inquam, nullæ tam graves curæ, nulla tam operoſa negotia illius mentem diſtinere poſſunt, quin ſæpenumero, & magna cum animi voluptate ad hæc Muſarum dona reſpiciat. His inquam oblectamentis relaxabit animum, his ornamentis locupletabit otium ſuum, hiſce fructibus explebit vacuum tempus, quodcumque ſupererit ereptum publicorum munerum curationi. Quantum igitur ſplendoris acceſſurum putamus utiliſſimis doctrinis, quas non ſuo tantum præſidio, ſed curâ, attentione, aſſiduitate, diligentiâ dignas exiſtimavit? Quàm copioſè fortunata hæc Civitas eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimis ſtudijs affluet, graviſſimo Principis judicio ſtimulos admovente, qui eandem, ac laudatiſſimam vitæ rationem, & educationis inſtituto, & imi-

 tationis

tationis exemplo ad poſteros ſuos propagabit.

Tot verò tantaſque felicitates à Patris Regis munificentiâ, & conſilio, velut à jugi fonte, profluentes, pari prorſus Regij filij benignitate, atque ſapientiâ ad fluvij perennis inſtar adauctas, jam nunc multò copioſius, ac perpetuò manare videbimus. Ille enim tot bonorum nobis auctor fuit ac præſes; hic conſervator erit, & cuſtos; ille largitor, hic propagator; ille ad ſummum extulit faſtigium; hic à præcipiti lapſu ſuſtinebit; neque ſolum in hoc florentiſſimo ſervabit ſtatu, ſed cumulatiora etiam facturus eſt. Quam quidem in ſpem veriſſimam, & omnibus indicijs exploratam eo ipſo auctore certiſſimo adducti ſumus. Ita verò auguſtiſſimus Pater magnarum rerum gloriam, uti & generis virtutiſque amplitudinem, cum filio partitur, atque communicat: nec quantum iſti laudis impertitur, tantum illi detrahendum putes, quum omne id potius, ut par eſt, ad originis caput referri, ac redundare debeat.

Accedit ad communis lætitiæ cauſſam, quod non minus nobiſcum mutuò gratulemur; ea namque Virgo è Bavarico ſanguine ad fauſtiſſimas nuptias delecta eſt, in qua nihil non eximium, non admiratione digniſſimum judicaris. In illa ſiquidem ſummæ nobilitatis, & pulchritudinis, & vir-

tutis

tutis ſplendor eluceſcit, ut neſcias profectò, quænam ex ijs dotibus ſibi primas vendicet. Si enim formæ venuſtatem ſimul & dignitatem, totiuſque corporis habitum ſpectes, clariſſimo ſtatim genere ortam cenſeas, atque adeo in admirationem maximam traduceris; qua certè omnium oculi, animique defixi ſunt, quum illam Regio curru invectam intuerentur in hanc pulcherrimam Urbem, innumerabilibus longè latèque luminibus, tanquam cœlum ſyderibus, collucentem; quo ſanè ſpectaculo nullum unquam ſplendidius, ac magnificentius noſtris oculis uſpiam obverſatum eſt. Fortunatiſſimam verò Civitatem, cui nocte illa tam ſalutare Sydus affulſit! Si autem mores integerrimos ſuaviſſimoſque, & ad omnem humanitatis rationem temperatos, ſi conſilium, ſi gravitatem in ætatis flore conſideres, Imperio planè digna, omniumque populorum cultu, & obſervantia videatur; eoque impenſius mirere tantam naturæ lenitudinem, ac benignitatem, quod cum Regij, atque Imperatorij Sanguinis Majeſtate conjuncta eſt. Ita miro prorſus modò excellens illius pulchritudo nobilitati, nobilitas autem virtuti ejus decori, atque ornamento eſt. Ea demum Virgo Subalpinorum Principis, tanti Regis Filij, ac ſuo quoque nomine, ſuiſque laudibus perilluſtris, luculentiſſimo matrimonio digna cenſebitur;

quod non temeritas, non inconſulta cupiditas, non cæci amoris impetus, ſed generis æquabilitas, morum ſimilitudo, virtutis ſocietas conjugavit. Arctiſſimis itaque vinculis laudatiſſimi amoris, & concordiæ colligati felices exigant annos, noſtræ felicitatis autores, & ſalutis vindices futuri optatiſſimæ ſobolis perennitate; quæ nunquam herclè defutura eſt expectationi noſtræ, populorum omnium deſiderijs, pijſſimorum conjugum, juſtiſſimi Regis, ſanctiſſimæ Reginæ, benigniſſimæ Aviæ pietati. Debetur enim hoc præmium, hæc voluptas, hoc ſolatium in tanto orbitatis metu Religioſiſſimorum Principum meritis, ac gloriæ, & ſubditarum gentium precibus, ac ſaluti; ut ex hoc fauſtiſſimo connubio, quod divino inchoatum conſilio, boniſque omnium ominibus perfectum eſt, nunquam interituram Regum progeniem ſuboriri videant, ex qua plurimi etiam traduces, ut factum eſt antehac ſæpius, in principes Europæ familias propagentur. Neque autem in dubio ſpes noſtra verſatur. Quid enim? Quum ſæpius ante hæc tempora prope everſis perditiſque rebus, ad unum ſucceſſionis ſpe omnino redactâ fortunæ acerbitate, aut ſæviſſimorum bellorum violentiâ, incorrupta certè permanſerit, ac lætius refloruerit vivacissima illa radix immortalis proſapiæ; ecquid nunc manifeſto ſuperùm favore, ac patro-

cinio, rebuſque omnibus ex voto fluentibus, ab eorum benignitate ſperandum eſt? Vigebit herclè, vigebit æternùm hujus Imperij Majeſtas, & dignitas, magniſque opibus adaugeſcet, præſtantiſſimi Regis, ac filij virtute, induſtria, conſilio, beneficentiâ; quorum omnis voluntas, omnis cogitatio moderatiſſimi Regni perpetuitatem, atque adeò populorum ſalutem, & felicitatem intuentur.

* *Eſt autem operæ pretium Lectores admonere, primam iſtam Caroli Emmanuelis Subalpinorum Principis conjugem anno poſt initas nuptias mortem obijſſe, ac paullo poſt Filium ex eo connubio natum fato quoque functum eſſe. Sed alteram deinde Subalpinorum Princeps duxit Uxorem, ſcilicet Annam Polyxenam ex Haſſianæ Gentis Rhenoſeldenſi Familiâ, quæ jam optatam Sobolem procreavit, ac præclariſſimis animi ſui dotibus defunctæ Principis virtutes exæquat, ac noſtra explevit deſideria.*

DE SCIENTIÆ JUCUNDITATE,

ORATIO V.

Habita Nonis Novemb. anno M. DCC. XXIII. In Aula Taurin. Lycei.

ETſi haud neſciam uſitatas ſtudiorum proluſiones, quibus annui curriculi auſpicamur ingreſſum, dignitatis habere plurimum, auctoritatis parum; quum quod novum aliquid, & inauditũ cupientibus eadem ex inſtituti ratione expectetur oratio, tum quod paratis adoleſcentibus ad intermiſſam doctrinæ conſuetudinem repetendam ſupervacuum videatur ſtimulos admovere: Non infructuoſum tamen hoc dicendi munus, neque alienum prorſus à majorum noſtrorum conſiliis exiſtimandum eſt, ut nempè ſegniores inertioreſque, ſi qui reperiantur inter cæteros qui vehementer ad omnem diſciplinarum ſcientiam complectendam exarſerunt, graviſſima aliqua cohortatione ad ſimilem laudem inflammentur: & conjunctis exæquatiſque omnium ſtudiis par ubique conſtet alacritas, & voluntas animorum. Neque porro, ut ea res feliciter eveniat, conſultò de ingenuarum artium jucunditate dicturo

dicturo metuendum videtur, ne ejuſdem argumenti renovatione ſatietas afferatur auditoribus; tam enim varium, & multiplex eſt, tantâque optimarum rerum copiâ redundat, ut in eo prope innumerabiles cunctarum ætatum diſertiſſimi viri graviter ornatéque verſati ſint; neque tamen efficere potuerint, ut omnem poſteris materiam præriperent facultatemque dicendi. Et ſane quid hoc florentiſſimo tot literatiſſimorum hominum conſeſſu dignius, quàm de litteris loqui? quid eruditis auribus unquam accomodatius, quàm de doctrina habere ſermonem? quam mehercules alii veſtrum matura & exacta jam ætate plenius hauſerunt, alii tenerâ ac nondum adultâ omnibus viribus, opibuſque ſectantur. Agnoſcant igitur alii felicitatem ſuam atque præſtantiam, alii, quid ad ſummam laudem & voluptatem ſibi deſit, intelligant: gaudeant illi ſe tantum boni adeptos eſſe, atque hoc pulcherrimo virtutis præmio fruantur; doleant iſti ſe nondum aſſecutos, atque ad illud celeriter ſibi parandum ſumma ope contendant: illis qui jam probè ſenſerint, tanquam teſtibus utar ad eorum quæ dicenda ſunt confirmationem; iſtorum propenſio, ac ſtudioſiſſima voluntas prolixè admodum pollicetur ſucceſſura nobis omnia ex ſententia, nihilque nos incaſſum inaniterque dicturos.

Ecquis enim, ſi rectè ſibi conſulere velit, eam vitæ rationem repudiabit, per quam verâ,

ac ſolidâ, & nunquam interiturâ voluptate perfunditur animus? quippe cui non opinione ſolum, ſed ad veritatem herclè perſuaſum ſit, nihil ſibi [quantum certè inter homines fieri poteſt] omnino deeſſe ad florentem vitam, atque beatam, & copiis omnibus affluentem? Ita enim illi penitus inſita eſt cognitionis & ſcientiæ cupiditas, & inveſtigandæ veritatis ſtudium, ut in hoc ſe unicè amplectatur, in hoc conquieſcat, hoc veluti convenientiſſimo ſuæ naturæ pabulo nutriatur. Quid vero? nonne cogitatio contemplatioque rerum mentis rationem intelligentiamque conſtituit? ut diſpereat illa funditus, & in nihilum abeat neceſſe ſit, niſi aliquid meditetur, cognoſcat, intelligat? At quas demum res potiſſimùm curâ, & diligentiâ complecti debet. Ineptas ſcilicet, aut inutiles, aut vacuam ab omni fructu delectationem parituras? an potius eas, quæ fructuoſiſſimis liberalium doctrinarum cognitionibus rationem excolere, augere ac perficere poſſunt, neque corporum illam contagione, & labe contaminant? Plurimum enim hæc ab illa diſſident, atque aliena ſunt. Quid dico aliena? immo potius infeſta, & noxia, ſi ſemel peſtifera dulcedine illectam teneant, & ad turpiſſima quæque deducant. Solet profecto, ſolet [quod utinam penitus averterent ſuperi] nefaria illa peſtis ac pernicies ſenſim in improvidos adoleſcentium animos illabi, niſi dili-

diligens, & aſſidua cuſtos excubet virtus; tantamque protinus, ubi ſe ſe altius inſinuaverit, edere ſtragem, ut conſignatas etiam divinitus infixaſque omnium in mentibus notiones labefactet, ac denique ſtirpitus evellat. Quo fit, uti magna pars hominum ne concipere quidem animo, & cogitatione poſſint, quænam ſit virtutis, & ſcientiæ voluptas illa à ſenſuum complexu & ſuavitate non tantum remota & libera, ſed prorſus abhorrens. Sed qui recta à pueris inſtitutione, fidaque cuſtodia obſepti adverſus exitiabile malum, puram illam, & liquidam, & incorruptam voluptatem attigerunt, ac ſæpius deguſtarunt, tanta illius cupidine incendi atque æſtuare ſolent, ut præ illâ humana omnia contemnant ac reſpuant. Quod quidē quum aſſecuta fuerit mens, quàm longiſſimè à corporis concretione abſtrahitur, atque à ſenſuum corruptelis avocatur; ita enim ſeipſam. Colligere, & ad ſe redire videtur, ſecum ipſa ſua beatitudine frui & gaudere in ſinu, nullius jam indigens, boniſque omnibus, quæ verè ac ſapienter bona dici queunt, expleta, & cumulata; ita ut nihil jam ſibi optandum ſupereſſe perſpiciat. Sed quam unquam reperiemus è corporum voluptatibus quas tam dementer appetimus, quæ tanta nos, ac tam ſincera jucunditate perfundat? Quippe quæ ſemper animi ægritudinem, & faſtidium, & dolorem parere conſueverunt: quum abſunt quidem,

ægri-

ægritudinem, & inquies deſiderium; quum adſunt verò, faſtidium ac ſatietatem; quum denique abierint, vehementiſſimum doloris aculeum, atque moleſtiæ. Dolet enim animus, modò ne ipſius oculis ſempiterna caligo circumfuſa ſit, dolet, inquam, ſe ſe ad fædum hujuſmodi, & belluinum paſtum, ſuæque naturæ contrarium abjeciſſe.

At veritatis indagatio, rerumque pulcherrimarum inventio, quas laudatiſſimæ ſuppeditant diſciplinæ, perpetuâ firmâque dulcedine allicit mentem, multoque validioribus illecebris delinitam tenet; ut illa etiam quorum naturæ veluti coactu, atque inſtinctu acerrimum in ſenſus noſtros irrepit deſiderium, contemnere cogat, & aſpernari. Nam quid optabilius accidit nobis vitæ commodis, & voluptatibus? contemſit tamen Diogenes. Quid pecunia & domeſticis copiis? contemſit Crates. Quid publicis honoribus ac dignitatibus? contemſit Anaxagoras; & hæc quidem gratiſſima fortunæ munera contemſerunt, ut ſolutam ac liberam mentem gratioribus doctrinarum curis admovere poſſent. Quid cæteros nunc ego commemorem ex omni antiquitate, ac noſtra etiam memoria clariſſimos viros, ingenio, virtute, ſapientia nunquam ſatis commendandos? quorum ſi nomina tantum proferre in medium velim, vox & latera prius me deficiunt, quam omnia recenſere poſſim.

Ne-

Neque id tamen, quamvis magnum ſit, atque præclarum, & divinam ſcientiæ jucunditatem evidenter oſtendat, tantopere mirandum videatur, ſi etiam illud animo reputemus, tantam vim eſſe illius blanditiæ, tantam ipſius illecebræ firmitatem, ut totam ſecum abripiat avocando à ſenſibus mentem, abducatque à rebus humanis in ſui contemplatione defixam, ac veluti conſopitam. Nemo, arbitror, veſtrûm ignorat Archimedem ſingulari ingenio, ac excellenti Mathematicarum artium doctrinâ præditum, captis à Marcello Syracuſis, dum formis quas in pulvere deſcripſerat intentus eſſet, ab ignaro milite, quis eſſet, interfectum. Tanta nimirum cœperat ejus animum pulcherrimæ ſcientiæ cupido, tantâ illius ſuavitate, ac lenociniis tenebatur, ut auribus & oculis captus hæreret. Quem verò non ex altiſſimo ſopore excitaſſet, non ad fugam compuliſſet furentium militum clamor atque diſcurſus omnia ferro, flammaque miſcentium? quem non ruentium tectorum fragor, & mixtus civium gemitus atque ejulatio? Qui enim tumultus, quæ comploratio, qui ululatus, quum expugnata urbe in miſeros cives ab iratis & acerbis victoribus omnia crudelitatis, avaritiæ, libidinis eduntur exempla? quum alii crudeliſſimè necantur, alii rapiuntur in ſervitutem, pueri virgineſque è matrum ſinu, & complexu abſtrahuntur, mulierum aliæ trucidantur,

tur, aliæ omnis generis ludibria patiuntur, ædeſque ſacræ, ac profanæ nullo diſcrimine hoſtili flagrant incendio! Fingite demum animo, ac reputate quidquid inſolens victoria, immaniſque iracundia edere per occaſionem ſolet, ut acceptas ulciſcatur injurias. Nullum enim cladis genus in Syracuſanos à Romanis militibus prætermiſſum eſt, ob diuturnam, & cruentiſſimam obſidionem furore æſtuantibus. In tanta perturbatione, & confuſione rerum omnium, inter luctus, gemitus, cædes, incendia, rapinas, atque excidium opulentiſſimæ, ac frequentiſſimæ Urbis ad unum Archimedem inveſtigationi veritatis deditum, ac propterea humanis rebus exemptum tanti mali ſenſus non penetraverat. O mirificam doctrinæ vim, ac ſuavitatem alijs omnibus anteferendam! Hîc nunc ego, A. ſapientiſſimi, veſtram fidem appello, hic veſtram virtutem, ſapientiamque deſidero. Componite nunc mihi, & contendite cum iſta cæteras voluptates: circumſpicite, & conſiderate diligenter, ſi quam reperire liceat ex illarum numero huic parem, aut certè proximam, quæ tam validè animum devincire, adeò ſuaviter detinere, ità plenè copioſèque explere poſſit. Conferte venationis, aucupij, ludorum, epularum, deſidiæ, amorum lenocinia: Nonne hæc plena laboris, periculi, damni, ſollicitudinis, ægrimoniæ reperietis? ſuapte enim ſponte

tot

tot ſcatent malis, quæ ſæpe ſummam egeſtatem, miſeriam, atque interitum attulerunt. Hæc quippe in eorum inſita naturâ ſunt, penitus inhærent in viſceribus, & arctiſſimè affixa prope ſemper, & ubique comitantur; non aliunde, nec caſu aliquo, aut temere arceſſita. Moleſtias igitur animi, non levamenta, acerbitates, non ſolatia, cruciatus non delicias cum præſtantiſſimo juxta, ac honeſtiſſimo jucunditatis ſenſu comparabitis?

Quid? quod quum iſte delinimentis ſuis optimè quidem, & laudabiliter conſtitutam mentem imbuere ſemel, ac permovere cœpit, tam aſſidua, ac prorſus invicta velut incautæ adhibet blandimenta, ut in ſuam poteſtatem redigat, & tamquam Regno potitus in ſervitutem trahat; itaut nullam vitæ, aut valetudinis rationem habere ſinat: quod plurimorum dolendo quidem exemplo eveniſſe comperimus. Vituperanda ſanè eſt eorum impotens illa, & immoderata ſciendi cupiditas, qui nihil ſibi unquam laxamenti ſumunt, qui dies noctesque incubant libris, qui ſe continenri, atque improbo labore conficiunt, blandiſſimo, & pervicaci ſcientiæ deſiderio, ceu Sirenum cantibus, deliniti. Reprehendendus, inquam, eſt effrenatus ille, & indomitus animi impetus; quum nihil niſi moderatum, & certis incluſum finibus ſapienti probandum ſit. Verum iſtinc apertiſſimè cuivis perſpicere licet, quantum

libe-

liberaliſſima ſtudia delectationis, & ſuavitatis habeant, cujus arctiſſimis vinculis libentiſſimè mens adſtringitur, utpote quæ cum immortalis jucunditatis fructu ſummam conjunctionem, & neceſſitudinem ſervant.

At verò mirabitur fortaſſe quiſpiam orationis hujuſmodi novitatem, meque barbaro, ignoto, & prorſus obſcuro ſermone putabit loqui, aut planè deſipere, atque inſanire; quippe qui humaniora ſtudia, ut vulgo perſuaſum eſt, laboris, & difficultatis pleniſſima, amœnitatibus, & oblectamentis referta eſſe audacter aſſeverem. Re quidem vera longè aliter videtur ijs, qui ſemper à præclaris hiſce occupationibus alieni fuerunt, quique ætatis florem, aut magnam illius partem per otium, & deſidiam, & luxum tranſegerunt; aut ſi quando ad bonam frugem revocati ad illas animum appulerint, primo ſtatim labore deterriti abjecerunt arma, & ad priora inertiæ caſtra refugerunt. Iſtis equidem me non unquam, aut ægerrimè perſuaſurum arbitror: eorum tantummodo, aut miſeriam deflebo, quod nullam honeſtiſſimæ multoque maximæ voluptatis notitiam hauſerint; aut ignaviam inſimulabo, quod fracti repente animo ita conciderint, ut quaſi mentis impotes ſe ſe leviſſimo labori impares judicarint, ſpemque omnem tanti fructus ſibi ipſi præciderint. Rogabo etiam, & obteſtabor quantum pre-
cibus

cibus contendere potero, ut patiantur ſibi hunc errorem eripi; neque pertinaciter velint in eo perſeverare; ut ſuſcipiant cogitationem digniſſimam patriæ virtutis, & gloriæ; ut parumper elaborent, atque enitantur ad aſperiora quidem tyronibus, leviora tamen opinione ſtudiorum initia ſuperanda.

Habet enim doctrina primos aditus difficiles, atque arduos inaſſuetis; quorum tamen anguſtias ſi paululum prætergreſſi fuerint, cætera votis prolixè, ac feliciter reſpondebunt; non ſecus atque ijs, qui in prærupti alicujus montis verticem evadunt, ubi ſemitarum aſperitatem, & acclives anfractus ſuperaverint, nova quædam, & inſperata obijcitur delectatio; quum ſcilicet ſubjecta oculis aperitur latiſsima, & æquata agri planities in omnem regionem interminata; in qua campi colleſque viridiſsimi, amœniſſimorum fluminum curſus, nemorum opaca, & læta viriditas, nitidiſsima pratorum ſpatia florum omnium varietate conſperſa; pulcherrimæ Urbes, & oppida, aut lenibus clivis impoſita, aut planiſſimo in loco explicata; ubi denique immenſitas ipſa camporum tot rerum novitate, & pulchritudine paſcit oculos, animumque inopinata afficit voluptate; itaut benè collocatam operam, nec immeritò inſumtum laborem arbitretur. At multo hercle major acriorque eſt illa mentis oblectatio ex nobiliſſimarum

artium

artium cultu, quæ ſuaviſſimam rerum occultarum, atque admirabilium cognitionem ſubminiſtrant; nam ſenſim longius progrediens, ubi primas hauſerit notiones, intelligentia ſemper reconditum aliquid, & inauditum intuetur, & excógitat, impertitque alijs ad communem hominum utilitatem: quod quidem quam præclarum ſit, quamque jucundum nobis accidere conſuerit, hinc æſtimari facillimè poteſt. Quemadmodum nempè magnæ nobis voluptati, ac laudi eſt, cæteros homines rudes, atque illiteratos doctrinâ, & bonarum rerum cognitione præcellere; ità longè maximæ eſſe debet, Sapientes, ac doctos Viros doctrinæ excellentiâ ſuperare; quod ea ratione optimis hominibus, & à vulgi fæçe longius ſemotis, anteferendi eſſe videmur. Quapropter incredibili ſanè lætitiâ elatus eſt Pythagoras, graviſſimus verò, ac ſapientiſſimus inter Philoſophos, immò Philoſophorum omnium Princeps, quod ducta ex orthogonij trianguli lateribus quadrata, quâ inter ſe æquarentur ratione deprehendiſſet; utiliſſimum verò perceptum, ac ſummæ fœcunditatis, quæ in omnes redundat Mathematicas diſciplinas. Eaque de cauſsâ pulcherrimi auctor inventi Apollini, ac Muſis, planè magnifico, ac ſplendido in privatis opibus ſumtu, Hecatomben immolavit. Quid autem Archimedes abſolutiſſimâ Philoſophiæ, ac Geometriæ ſcientiâ celeber-

berrimus? Nonne quum auream coronam argento mixtam, Hieronis Syracuſarum Regis juſſu, examinandam ſuſcepiſſet eâ conditione, ut integram ſolidamque, uti erat, conſervaret; ac latentis argenti cum auro ſubdolè mixti ab aurifice portionem inveniſſet, prope gaudio amens è balneo exiluit, clamans, *reperi*, *reperi?* Idem etiam tanti duxit inventam à ſe comparationem proportionemque, quam Cylindrus ad ſphæram inſcriptam haberet, ut horum corporum formam in ſuo tumulo inſculpi teſtamento juſſerit: quo indicio Tullius tanti viri ſepulchrum ſua ætate vepribus, ac dumis obſitum detexit Syracuſis. Hoc nimirum Archimedes ſuæ induſtriæ, atque ingenij monumentum, tanquam clariſſimum trophæum in, tumulo conſtitui voluit, poſteriſque mandari æternis revera laudibus celebrandum; quod ſcilicet nihil funeſtum, nihil immane, ut cætera trophæa, ſignificaret, non hominum ſtragem, civitatum excidia, cœdium, & vaſtitatum memoriam teſtaretur; ſed ſollertiſſimæ, ac prope divinæ mentis perſpicaciam, admirabilia in præclaris artibus inventa, multà, & maxima comparata humanæ vitæ ſubſidia poſteritati commendaret.

Neque ſanè immeritò veteres novarum artium repertoribus publicos, ac divinos honores decreverunt, & ſtatuis alijſque illuſtri-

bus monumentis eorum ingenij ſollertiam ad ſempiternam temporis memoriam conſecrarunt. Quid igitur huic jucunditati præponendum ducimus, quæ ex vera virtute proficiſcitur, quæque publico cunctarum ætatum teſtimonio, & laudatione cohoneſtatur? quum cæteræ voluptates in tenebris lateant neceſſe ſit, nec ad publicam lucem emergant, ne ad reliquas earum moleſtias, & detrimenta infamiæ cumulus accedat.

Illa nimirum, Adoleſcentes, induſtriæ veſtræ curricula eſſe debent; in hiſce amœniſſimis doctrinarum ſpatijs ingeniorum veſtrorum acumen, cogitandi celeritatem, diſſerendique ſubtilitatem, & copiam decurrere, atque exultare decet; in quibus ingens vobis curſus ad laudem, & ad honeſtiſſimam oblectationem aperitur, ſi revera in hoc ſtadio, qua par eſt animi contentione, elaboretis. Sicut enim nunc inſignia, & miranda docemur in omnibus diſciplinis inventa ſummorum virorum è cæteris Italiæ, atque Europæ regionibus, nimirum ex Anglia, Gallia, Batavia, atque Germania; ita tunc exteræ nationes & noſtra perdiſcerent, ac viciſſim ipſis maximam ſollertiæ noſtræ admirationem moveremus. Quantæ verò nobis lætitiæ, & gratulationi foret, ſi reliquæ gentes à nobis repeterent oracula doctrinarum, ſi noſtris inventis ſe plurimum profeciſſe faterentur, noſque veluti clariſſima quædam

ſcien-

tiæ lumina intuerentur? Nam quid gratius obtingere cuiquam poteſt quàm gloria florere apud cæteros homines iis in rebus, quæ magnam admirationem habent? An quiſquam verò omnium mortalium inficias ibit magno ſemper in pretio fuiſſe, magnique ſemper fieri ſolere utiliſſimarum rerum notitiam, atque intelligentiam? Hæc itaque vobis ornamenta proponite, has voluptates, hæc oblectamenta conſectamini, quæ vobis gloriæ, & utilitatis fructum allatura ſunt.

Ecquando autem id vobis opportunius, ac felicius evenire poterit, quàm hoc tempore? quum Taurinenſi Lyceo in majorem amplitudinem excitato, magniſque auctibus creſcente in dies ob Clementiſſimi Regis patrocinium atque tutelam, & fortiter aſſertam verioris nitidioriſque doctrinæ gloriam, aptiſſimæ quæque diſciplinæ ad expoliendos oblectandoſque juventutis animos; & ad virtutem informandos, traduntur à doctiſſimis viris, qui propter magnam eruditionis, & ſapientiæ opinionem ad hoc munus allecti ſunt. Quod ſi vetus illa Taurinenſis Academia nunc ſe redivivam, ac lætius reflorescentem cernere, atque una voce loqui poſſet, hiſce, opinor, verbis ad vos, honeſtiſſimi Adoleſcentes, uteretur. Nunquam herclè tam lætos, quàm hoc tempore, tranſegi dies, nec me adeo florentem opibus beatamque conſpexi, ex quo Ludovici Sa-

baudi Achajæ, ac Peloponneſi Regis beneficio vitalem hunc hauſi ſpiritum. Quid enim? per funeſta illa tempora, quum nobiliſſimas quaſque artes undique offuſa barbaries prope deleverat, nunc graſſantibus teterrimis morbis ejecta ex hac Urbe, quæ mihi patria dulciſſima fuit, nunc turbulentiſſimis bellis conflictata, ac pene confecta vulneribus, ſæpe intermortua, ſępè è cineribus reviviſcens ad hanc prope ætatem miſerrimam vitam propagavi, ſi modo vita nuncupanda eſt. Multos tamen, atque illuſtres genui filios, aluique ſinu meo quàm ſtudioſiſſimè potui pro temporum illorum cultu, multoque etiam præſtantioribus (ſi gloriari libet] quàm quæ vigebant apud exteras gentes, inſtitutis. Illis enim vel longè diſſitis clāritatis meæ, ac gloriæ ſplendor illuxit. Namque ex longinquis terrarum oris, è Bataviæ nempe litoribus Deſiderium Eraſmum, ſingulari ingenio atque doctrina, jamque inter populares ſuos celebratum, quibus elegantiorum litterarum facem præluxerat, in hanc eruditiſſimam Civitatem mei nominis fama pertraxit. Ille ſua mihi ſtudia commendavit, à me Theologica Laurea coronari voluit, ut quanta ſibi ad doctrinam, tanta ad laudem per me fieret acceſſio. Attuli utramque mehercule, felix tam nobili prole futura, niſi poſtmodo incorruptæ Religioni labem aſperſiſſet, ut complures arbitrantur; quâ re & mihi, & patriæ ſummum dolorem, & ignominiam inuſſit. Fe-

Felicior deinde ſucceſſit ætas ſub Emmanuele Philiberto, quum diu antea conſepulta jacuiſſem. Hujus munificentia ſapientiſſimos mihi præbuit educatores, Cravettam, Goveanum, Manucium, Pancirolum, Vivaldam, Cujacium, Gyraldum, Benedictum, Argenterium, Valeriolam, qui mihi florentiſſimæ ſobolem juventutis inſtituerunt. Verum paulo poſt acerbiſſimo fato, ut ſæpius antea, funditus occidi, ac tumulata ſum. Aſt in vitam nuper revocata Invictiſſimi Regis Victorij Amedei operâ, ac benignitate, nunc demum feliciſſimam ætatem ago, nunc mihi pergrata hujus vitæ lux, nunc cœli ſpiritus eſt jucundus, in tanta humaniorum litterarum luce, Juriſprudentiæ nitore, Theologicæ eruditionis lumine, Phyſiologiæ ſcientiæ ſplendore, ac jucunditate, doctiſſimorum inſtitutorum copiâ, atque delectu. Quid non auſim ſperare hoc tempore? quid non mihi polliceri poſſum? Tantum velim alumnos meos, quos peramanter ſinu foveo, atque complector, meis favere conatibus, ſpem meam, ac voluntatem adjuvare, ſuæ utilitati, gloriæque conſulere. Heu me miſeram! quàm acerbum dolorem caperem! quam calamitatem! quam ignominiam, ſi meam expectationem fallerent, ac vota deſtituerent! At protinus ſuperi tam deteſtabile omen avertant, nobiſque volentes, ac propitij ferant meliora.

Hæc putate vobis loqui, Orn. Adoleſcentes, Matrem amantiſſimam, omnia veſtrâ cauſsâ cupientem, de veſtris commodis, de veſtra exiſtimatione, de veſtra ſalute ſollicitam. Hujuſne adhortationes, monita, preces inhumanè repudiabitis? At ſi nihil quidquam commovere animos veſtros poteſt, ſi ne maternæ quidem preces emollire duritiem illam queant, ſi pertinaciter in eodem propoſito permanere vobis certum eſt, ut aliam nullam niſi voluptatis rationem ducere velitis, ibi quærite voluptatem, ubi veram, & incorruptam ſine ullo dedecore, & damno, imò etiam magno cum fructu, & gloriâ reperietis.

DE HUMANIORUM
LITTERARUM NECESSITATE
ORATIO VI.

Habita Taurini in aula Regii Lycei.

III. Non. Nov. Anno M. DCC. XXIV.

ETſi propagatus ubique gentium, ac prope inſanabilis error increbuit communi juventutis deſidiâ, & ad optima quæque ſocordiâ confirmatus, politioris nempè humanitatis ſtudia ornatus tantummodo, & inanis cujuſdam aut voluptatis, aut oſtentationis gratiâ comparari; haud tamen me pertinax illa & pene conſpirans omnium hac ætate conſenſio deterrere potuit, quominus pro ſapientiſſimo hujus Academiæ inſtituto, quo bonæ coluntur artes, & amplificantur, exitiabilem illis opinionem in hoc eruditiſſimo cœtu pro viribus refutarē. Namq; adnitentibus vobis & approbantibus, ut pote doctiſſimis viris, facilius veritatem iis qui diſſentient probaturus ſum: tum verò protraham in medium illorum ſtultitiam ac temeritatem, qui ab omni cultu doctrinæ, ab omni humanitate penitus alieni, amantiſſimos optimarum rerum adoleſcentes ab earum ſtudio revocare conantur. Neque verò tantope-

re mirandum foret, omnino indoctos & illiteratos homines id contendere, ac ſuadere cæteris; quibus enim nulla unquam affulſit doctrinæ lux, non modò inſuavis, & injucunda eſt litterarum cognitio, ſed inutilis admodum, & inanitatis pleniſſima videtur. At hercle vel mediocriter doctos, & liberalibus diſciplinis imbutos eum fovere animo errorem, & impenſo ſtudio propagare; id demum prodigij ac portenti loco numerandum eſt, nec ullâ ſatis orationis vehementiâ vituperari poteſt. Obcæcat enim is error, & extinguit funditus omne lumen diſciplinarum, obſtruit facilem, & directam plenioris ſcientiæ vitam; quâ tandem deletâ & ſublatâ ex oculis coguntur adoleſcentes poſt graviſſimos ſtudiorum labores, ac vigilias, & ærumnas in perpetua rerum utiliſſimarum ignoratione verſari. Quam tamen poſtmodum in lubrico illo ingraveſcentis ætatis flexu peracerbus quidem, ſed infructuoſus dolor atque ægritudo conſequitur; quum anteactæ vitæ ſpatium, perceptæque doctrinæ curſum animo reſpicientes, apertiſſimè viderint, quid in ea re prætermiſſum, aut peccatum fuerit, nec ullum amplius tanti vulneris remedium ſupereſſe. Rectè igitur & utiliter me in hujuſcemodi oratione operam collocaturum cenſeo, quâ humaniorum artium neceſſitatem conabor oſtendere; ut ante certam & exploratam adoleſcentibus commonſtrem viam, quàm illis contingat

poſt

poſt longum & ærumnoſum iter exhauſtum incertis ac periculoſis erroribus fluctuare.

Enim vero reliquis artibus, quarum ſcientia & fructus expetitur, præcurſionem adhibere debent litteræ humaniores; quippe quæ nondum adulta puerorum ingenia, tanquam teneras plantas adhuc ſolo coaleſcētes, primis illis & vitalibus ſuccis nutricantur & fovent: ut inde incipiant paullatim radices agere, quibus quaſi fundamentis innixæ ſurſum erigant truncum, ramoſque fundant undique lateſcentes, & uberem poſtmodò fructum allaturos. Non aliter ſanè prima illa notitiarum ſemina, quæ puerilem videntur exercitationem redolere, ideoque à pluribus, immeritò tamen ac temerè, contemnuntur, aperiunt aditum ſternuntque viam ad ſanctiores & abditos ſinus, & quædam veluti ſacraria doctrinarum. Si enim iſtæ non è quovis rivulo, ſed è ſuis fontibus repetendæ ſunt, per neceſſaria nobis eſt univerſa humanioris doctrinæ ſupellex. At vero neminem arbitror extiturum, qui revera, & ex animi ſententia inficietur omnem liberalium diſciplinarum cognitionem ab ipſa origine, & fonte penitus hauriendam. Qui enim minus illinc eruantur, ubi inſunt primitus? ubi earum primordia & incunabula? ubi altæ educatæque ſunt? ubi robur & incrementum acceperunt? undè ad cæteros omnes, ſiqua eſt earum cognitio percepta, manarunt? Primi ſcilicet earum auctores ac parentes, tum deinde altores edu-

catoreſque omni ſtudio, & diligentia colendi ſunt, quorum vaſtus animus, & ſollers, ac providus, tantarum rerum magnitudinem, præſtantiam, utilitatem complexus eſt, atque in lucem poſteris edidit, quantas nulla unquam inſequentium ætatum induſtria parere potuit, etiamſi tot tantiſque repertis in publicum propagatis omnia veterum ingeniorum luminibus collucerent. Num igitur dubitandum adhuc nobis erit, unde rerum præſtantiſſimarum notitia potiſſimum colligenda ſit? Diſcipulos nimirum potius, an magiſtros audiemus? filios magis an parentes? rudes tantum auditores, & aſſeclas, an perſpicaciſſimos rerum admirabilium auctores repertoreſque? in quibus excellens ratio ingenij fuit, incredibilis excogitandi celeritas, copia, magnitudo? quorum denique divina ſollertia omnem poſterorũ temporum induſtriam ſuperavit. O miram prorſus divini numinis in rebus humanis ſapienter adminiſtrandis rationem, & providentiam! quum enim cunctis hominibus intelligentiam tribuiſſet, quâ à cæteris animantibus longius, à divina autem mente propius abeſſent, quoſdam interim exiſtere voluit in hac rerum univerſitate mirificæ mentis & ſagacitatis homines; ut quum tot extarent in rebus corporeis illuſtria ejus potentiæ monumenta, totidem quoque conſpicerentur in iis, quæ animi tantùm ratione concipiuntur.

At quâ tandem viâ ad integerrimos hoſce

ac locupletiſſimos doctrinarum fontes licebit accedere? nulla certè alia patet 'omneſque aditus præterea undique obſtructi ſunt, niſi reconditis & interioribus litteris non imbuta ſolum diſcentium ingenia, ſed & ſubacta diligentius, atque exculta ſint. Omnes enim illi laudatiſſimi ſcriptores in quorum operibus copioſiſſimi diſciplinarum theſauri latent, aut Græco, aut Latino ſermone locuti, & litterarum ſcientiâ, & orationis munditia, ac nitore ſuæ ætatis hominibus præcelluerunt: quos propterea neque evolvere, neque intelligere quiſquam poteſt, niſi omnis litteraturæ præſidiis inſtructus ſit. Adſpirabit ſcilicet quiſpiam ad dicendi laudem, niſi Tullij ac Demoſthenis libros aſſiduâ manu pervolutet? Intelliget autem doctiſſimas ſummorum virorum commentationes, niſi pernoſcat omnes Latini, Græcique ſermonis elegantias, formulas, origines, earumque ſapientiſſimarum gentium mores, conſuetudines, inſtituta, antiquitates, hiſtoriam, quibus utraque loquendi ratio continetur? Aſſequeturne quiſquam aliquid in Philoſophiæ ſtudiis, niſi Platonis & Ariſtotelis, ejus propemodum artis conditorum, ſcripta pertractet? Verſare autem poterit, & aſſequi acutiſſimorum hominum mentem communium litterarum, & Græcanicæ linguæ prorſus ignarus? Miſſos enim interim faciam illos qui ſeſe Ariſtoteleos nominant, quum plerique omnes ne à limine quidem

Græ-

Græcum Ariſtotelem ſalutarint. Quid de Juriſprudentia loquar? Oſtenditurne ſpes ulla magni cujuſdam, & egregij profectus in Romanarum legum ſcientia, ſine ullo doctrinæ elegantioris adjumento? cujus potiſſimum ope, ac ſubſidio recentiores quidam ac celeberrimi juris interpretes jamdudum illud miſerrimorum temporum barbarie, ac veluti rubigine obductum, & infuſcatum, felicibus auſis expoliverunt, & in hanc lucem extulerunt. Jacobus enim ille Cujacius, qui inter cæteros Interpretes emicat, velut inter ignes Luna minores, ut inquit Venuſinus Poëta, tam plenam, abſolutamque Juris ſcientiam eſt conſecutus, quòd eſſet mirum in modum & Græcis, & Latinis litteris eruditus; quum nempe Baſilicôn libros Latinis verbis reddere ſtuduiſſet, in quibus veterum Juriſconſultorũ ſententiæ in Græcum ſermonem converſæ aliâ loquendi formâ magiſque dilucidâ continentur. Nam Græca illa interpretatione quaſi luculentiſſima quadam rerum difficillimarum expoſitione mirificè adjutus, ac ſublevatus eſt, quum illa clariſſimam facem ad Latinos Pandectarum libros intelligendos præluceret.

At quid, inquies, tam operoſo litterarum ſtudio opus eſt? quorſum tempus tam gravi, & ſupervacuo labore contercre? Prompta, & expoſita eſt omnibus doctrinæ cognitio in vulgatis, nuperiſque ſcriptoribus, qui priſcos illos interpretati ſunt, in quibus in-

telligendis nullum opus eſt eruditione perfecta. Quid neceſſe eſt ad veteres illos decurrere tam longinquos, & in tenebris abditos antiquitatis? è rivulis aquam haurire abundè licet; namque una prorſus, & eadem, quæ in incilibus riviſque delabitur, è ſcatebris erumpit. Hæc vulgo jactant, his rationibus pugnant ij, qui nihil perfectum, nihil elaboratum in ingenuis artibus exquirunt, quum ſatis habeant leves quaſdam, & tumultuariò congeſtas rerum notitias adumbraſſe. At ſi perſpicere unquam poſſent, quantum interſit diſcrimen inter veneranda illa priſcorum oracula, & vulgatos eorum explanatores; ſi pervidere unquam expolitioris doctrinæ adminiculo poſſent, quàm multa ab iſtis indoctè, inconcinnè, perperam expoſita, aut depravata ſint: ejurarent protinus errorem ſuum, dimitterentque ex animis temerè conceptam opinionem ex adoleſcentia, pravis inſtitutionibus confirmatam, propter inertiam laboris cupidius arreptam, imperitorum ſermonibus approbatam, malæ conſuetudinis corruptelâ invaleſcentem. Quis enim unquam, ſi vera fateri volumus, æquo animo ferat Bartholum magni nominis ſcriptorem, dum ridiculè fabulatur Tiberim fluvium ab Imperatore Tiberio nomen mutuatum eſſe? Quis Caſtrenſem, dum narrat Papinianum à M. Antonio Triumviro interfectum, qui ducentis amplius annis vetuſtior

fuit?

fuit ? Quis Accurſium in leg. 1. de Poſtulando, ubi ait Pyrrhum Macedonum Regem, Romam obſediſſe, quod quidem Romana ignorat hiſtoria? Quis eundem in leg. 2. de in Jus vocando, ubi verba illa, *neque Pontificem dum ſacra facit*, ad hunc modum interpretatur: *ideſt*, *Epiſcopum dum Miſſam canit, aut veſperas*, quaſi de Chriſtianorum ſacris Ulpianus Ethnicus Scriptor cogitaverit? Quis ferat tam multa illius, ac ſimilium interpretum putida, inepta, fabuloſa in perpetuis illis Romanarum legum explanationibus inſperſa? At hæc quidem errata ex litterarum, & hiſtoriæ ignoratione profecta, levia fortaſſe quiſpiam, & toleranda eſſe non immeritò arbitraretur, ſi perpetuò illa ſe ſe hiſce finibus continerent. Verum quum Latini ſermonis, & antiquitatis imperitia ad falſam, ac perverſam legum interpretationem abducit, jam ad eas imminuendas, violandaſve progreditur; quod nemini nunc contemnendum videatur: neque porrò jam ludrica, & ſupervacua earum rerum notitia eſt exiſtimanda, quum in ea legum ipſarum mens, ac ſententia ſita ſit, arx nempe, & caput præſtantiſſimæ diſciplinæ. Et quidem ob ejus generis imperitiam Accurſius, vir cæteroqui juris conſultiſſimus, & vetuſtiorum interpretum maximus, centeſimam uſuram, de qua pluries in Romanis legibus, eam eſſe cum cæteris affirmavit, quæ centenos

num-

nummos quotannis in parem, & æqualem ſortem exigat, intoleranda, ac inaudita fenoris acerbitate. Quam multa peccavit ipſe Irnerius, Dux & Princeps, & moderator omnium, qui conſequentibus ſæculis ſe ad Juris peritiam contulerunt? Illius enim errorum in legibus interpretandis bene longam ſeriem cōtexuit Jacobus Wiſſembachius, ſcriptor non inelegans, ac ingenij ſingularis. Cæterum innumerabiles planè in Pragmaticis animadvertit Antonius Faber Romanæ Juriſprudentiæ columen, atque in vulgatis, & barbaræ ætatis interpretibus politiſſimi quidam eruditiſſimique ſcriptores, quos ſuperior tulit ætas, poſtquam ex illa turbulentiſſimorum temporum caligine humaniora ſtudia enituerunt.

Quamobrem non immeritò Romani Juris Codicem, pulcherrimum, ſi quod alias, antiquæ ſapientiæ, doctrinæ, atque elegantiæ monumentum, pretioſiſſimum pannum eſſe dixeris, totum nitidum, auroque contextum, ſed cujus extrema ora, ſeu limbus fœdiſſimis ſordibus conſpurcatus ſit. Abſit tamen verbo invidia; neque enim quidquam illorum Interpretum gloriæ detractum velim, quum neque ingenium illis, neque acumen abfuerit, etſi ſæpenumero longius à ſuorum auctorum mente aberraverint, nec munus ſuum nimis accuratè, ac ſtrenuè ſint executi: qua

de

de cauſſa doctiſſimus ille Hugo Grotius vir excellenti ingenio, & eruditione cumulatiſſima putat optimos quidem eos fuiſſe condendi novi juris auctores, at peſſimos identidem conditi juris interpretes. Fontes igitur ipſi nobis adeundi ſunt, eò veſtigia dirigenda, eò mens omnis, & ſtudia revocanda, adſciſcendaque ſunt præſidia litterarum, quibus optatàm conſiliorum, laborumque noſtrorum metam poſſimus attingere: non enim tam pura, & nitida hauritur aqua è profluentibus rivis, quam ex ipſis ſcatebris fontium; quippe quæ per varios meatuum ductus à capite arceſſita, & longius derivata, ſæpe turbida, & inquinata fit, eorumque locorum, atque terrarum, quas perlabitur, naturam, vim, ac proprietatem induit; itaut poſt longam rivulorum, & itinerum flexionem multum à ſeipſa diſſimilis videatur.

Huc & aliud accedit incommodum, quod non remiſſiore ſtudio, & animi contentione devitandum ſit. Enimvero etiamſi quiſpiam plurimarum rerum cognitionem, ac ſcientiam fuerit adeptus, niſi artibus illis, & exercitationibus, quibus paratur eloquentia, operam aliquam, ac tempus impenderit; haudquaquam poterit ea, quæ animo comprehendit, in ordinem cogere, ac diſtribuere, nec copioſè, ac graviter eloqui, ut à cæteris dilucidè intelligantur. Quid enim aliud ſer-

mone

mone contendimus, niſi ut animi noſtri ſenſa, & conſilia luculenter exprimamus, utque illa in audientium mentes eodem ordine, vi, ac perſpicuitate illabantur, quo concepta à nobis, aut excogitata ſunt. Quo autem pacto id illis ſuccedere poterit, qui nullam concinnè, & diſtributè cogitandi, nullam facundè ac perſpicuè loquendi artem poſſident, aut naturæ inſitam munere, aut exercitationis labore quæſitam? Hærebunt potius inter loquendum tanquam vepribus, ac ſalebris irretiti, hæſitabunt linguâ, revocabunt ſe identidem, mancas, mutilaſque ſententias proferent, ſæpius jam dicta renovabunt, omnia confusè, & perturbatè proloquentur; tantumque aberit, ut in auditorum mentibus certam alicujus rei ſcientiam pariant, ut eorum potius voces, & inſcitia ſequatur, & obſcuritas, & magna confuſio. Hoc autem vitium planè fœdiſſimum in multis licet animadvertere, partim in familiari ſermonis conſuetudine, atque congreſſu, partim in vulgatis quibuſdam notiſque ſcriptoribus, qui quum magnarum rerum ſcientiam profiteantur, aut nihil docent, aut adeò parum, ut fruſtrà in ijs legendis opera conſumatur. Oritur autem id vitium, inſidetque in mentibus ex turpiſſimâ cultioris doctrinæ incuriâ, & negligentiâ, tum ex vulgari illâ, & barbarâ Philoſophiâ, quam ſi dijs placet, Ariſtoteleam dicunt, quum nil tamen mi-

nus ſit, ac longiſſimè potius ab illo auctore aliena, cujus nomine, & fama decoratur; quumque illi ipſi, qui eam gloriosè, ac magnificè profitentur, nunquam Græcos, ac genuinos, ſi qui ſuperſunt, tanti viri libros evolutarint. At enim quum futiles quaſdam, & inanes Arabum interpretum commentationes arripuerint, eaſque ſuis ipſi vanioribus argutijs cumularint, hujuſcemodi diſciplinam condiderunt, in qua ijs rebus cogitandis inſueſcant, aut ea cogitare, & perſpicere conentur, quæ nuſquam ſunt, neque eſſe poſſunt, neque in noſtram intelligentiam cadunt; vana ſcilicet, & efficta ſimulacra ſomniantium potius, & turpiter otio abutentium ſuo, quam veritatem ſeriò, & ſtudioſiùs inquirentium. Quid? quod hæc ipſa tot tantiſque verborum ſordibus inquinant, captionum laqueis irretiunt, diſputationum aculeis confodiunt inter ſe acerrimè concertantes, ut aures doctiorum obtundant, cogitandi vim rationemque pervertant, ac ſi quod cuiquam ineſt ingenij, & elegantiæ lumen extinguant. Inde porrò ſuperiorum temporum inſcitia, barbarieſque manavit; inde tot monſtroſarum opinionum colluvies, depravatio, atque perverſitas. At ne cui videar vana fingere, vos ipſi, A. ſapientiſſimi, judicatote. Sumite in manus eos, quos commemoravi, ſcriptores, aut verſamini cum ejus diſciplinæ hominibus, ac ſtatim verum

ma-

manifeſto indicio deprehendetis. Videbitis ſanè illos, aut propter inſcitiam impuriſſimâ uti dictione, cui nulla quoque uſitata inter homines ſubjecta ſit notio, nulla unquam ſana ſententia; aut rurſus de induſtriâ barbariem orationis affectare, quaſi non aliter ſe Philoſophos viſum iri arbitrentur, niſi perverſum, & inquinatiſſimum ſequantur loquendi genus, non ijs tantum in rebus, quæ non niſi peculiaribus, & ex intima arte repetitis vocibus explicari poſſunt, verum etiam in his, quæ planæ, ac perſpicuæ ſunt, quæque communi, & emendatâ dictione multò aptius, & commodius explanantur. Illud nempe imitati ſunt ſtultorum genus, qui agreſti cultu, ſordidis veſtibus, vultus illuvie, intonſo, ac deformi corporis habitu Philoſophi nomen aucupantur. Quid autem turpius, quid alienius, quid indignius, quam uti diſciplina, quæ humanum efficere debeat, illa ipſa reddat inhumanum? quæ compoſitum, & elegantem, illa inconditum, & diſſolutum, ac belluæ potius, quam homini comparandum? At non adeò planè indignis modis Philoſophia à priſcis illis ſapientibus accepta eſt, qui non modò Philoſophi nomen, & quidem jure merito tenuerunt; ſed litteratiſſimi etiam, ac eloquentiſſimi homines numerati ſunt. Nemo enim copioſior Democrito, elegantior Platone, comtior Ariſtotele, ornatior Theophraſto, ut cæteros

prætermittam, & ſanè propè omnes ejus ordinis, qui Oratorum numerum obtinuerunt. Exiſtimabant enim ſummi illi viri, fortaſſe falsò, ſi ad noſtræ ætatis mores reſpiciamus, exiſtimabant, inquam, naturali quadam, & arctiſſima cognatione ſapientiæ diſciplinam cum litteris eſſe conjunctam, ob mutuam nempe earum artium inter ſe utilitatem, opportunitatemque uſu ipſo, & experientiâ deprehenſam. Nam reſtitutis quoque in hac noſtrâ Italiâ, terrarum omnium altrice, ac parente, humanitatis artibus, quum captâ ſcilicet profligatâque Græciâ à Chriſtiani nominis hoſtibus, complures eruditiſſimi homines iſtuc confugerunt, & Græcas, ac Latinas litteras intermotuas excitarunt, revixit extemplò apud multos emendatiſſima cogitandi ratio, ac diſſerendi. Cum probatiſſimorum enim Scriptorum ſtudio, & imitatione rediviva effloruit eloquentia; expolitior, ac verior, & fructuoſior enituit Philoſophia; quin Phyſica præſertim ſcientia Mathematicis adiuta meditationibus tantis breviſſimo tempore crevit auctibus, quantis nunquam anteà poſt hominum memoriam. Juris quoque Romani, & divinarum rerum cognitio è nitidiſſimis fontibus hauriri cœpit, maximo fructu; atque emolumento, quum ex ijs, & verior ſententia in magnis rerum obſcuritatibus eluceſceret, & excellentium diſciplinarum principia, ac fundamenta

menta graviſſimis rationibus firmarentur. Hæc tot, ac tam præclara in omnes doctrinas merita litterarum, hæc beneficia tam ſingularia atque divina, ſi vellem accuratiùs exequi, & commendare, multò longius evagaretur oratio, quàm conſtitutum dicendi ſpatium ſinat.

Id unum tamen ſatis erit animadvertere, clariſſimo quidem experimento in celeberrima illa diſciplinarum omnium inſtauratione compertum, eos nempe omnes, qui ab ineunte ætate humanioribus litteris imbuti, ac perpoliti fuerint, nunquam falli, neque aberrare ab optima quaque, ac utiliſſima ſtudiorum ratione. Qui enim illam induerint mentem, illam ratiocinandi, ac diſſerendi conſuetudinem, nitorem, ac integritatem, quam Xenophon, quam Plato, quam Ariſtoteles, quam Theophraſtus, quam Demoſthenes, Lyſias, Thucydides, Iſocrates apud Græcos, apud Latinos autem Tullius, Cæſar, Salluſtius, Livius, Celſus, Seneca, Plinius, ac tot alia clariſſima Romanæ Sapientiæ lumina tenuerunt, ij nunquam ferre poterunt recentium ſcriptorum colluviem, ac fæcem, nunquam futiles illorum argutationes, ineptias, ignorantiam tolerabunt; nunquam verendum erit, ne Averroem Democrito, Maſtrium Platoni, Arriagam Xenophonti, Sabellium Papiniano, recentium Theologorum argutias Sanctiſſimo-

rum Eccleſiæ Patrum oraculis anteponant. Si quam verò inter inferioris ætatis ſcriptores comparationem inſtituerint, eos potiſſimum ſeligent, qui purè, qui ſapienter, qui ordinatè, non qui barbarè, aut ineptè, aut diſſonè loquantur; qui res doceant, non qui inania funditent verba; qui vera, atque frugifera, & magno uſui futura commonſtrent, non commentitias quaſdam, & vagas dimotæ de ſtatu ſuo mentis, & ingenij laſcivientis imagines. Adeò quippe verum eſt animi effigiem, & ſimulacrum in oratione veluti expictum apparere.

Hæc itaque vobis ineunda eſt via, lectiſſimi Adoleſcentes, quam qui ſemel ingreſſi, quâ decet, conſtantiâ perſecuti ſunt, & reapſe perſpiciunt, & meritò gloriari poſſunt ſe ſe directum, ac facillimum iter tenuiſſe ad omnem rerum optimarum ſcientiam cum fructu, & laude percipiendam. Nam licet non adeò magnum ſit, neque tantopere laudabile videatur ſcire litteras, quippe quas univerſi ſcire debeant, ſummum tamen eſt dedecus ignorare; earum ſcilicet artium expertem eſſe, quibus rudes, & impolitæ hominum mentes erudiuntur, expoliuntur, comparantur ad nobiliſſimas quaſque doctrinas, imò verò ad humanitatem ipſam informantur. Non alia enim de cauſſa humanitatis ſtudia nuncupamus, quam quòd illa nobis humanitatem, ſive elegantiorem cultum

tum

tum impertiant, ac feram illam, & agreſtem, & inconcinnam loquendi aſperitatem, diſcrepantiam, tarditatemque depellant. Quàm verò turpe, quàm ignominioſum homines cæteroqui doctos, quique difficillimarum rerum ſcientiam præſeferant, illa neſcire, quæ initia, & rudimenta ſunt ſcientiæ? & quum res abditas, atque in intimis ſapientiæ penetralibus retruſas ſe docere profiteantur, interim verò à pueris doctioribus irrideri, atque exſibilari, utpotè qui quum ne commodè quidem loqui didicerint, magna, & præclara ſe eloqui poſſe confidant. Unde ajebat Tullius, vir ſine ulla dubitatione ſapientiſſimus, non tam præclarum eſt ſcire latinè, quàm turpe neſcire. Quid? quod ea ipſa, quæ docemus, etſi magna per ſe ſe, atque utilia ſint, niſi puro, & nitido ſermone conveſtiantur, omnem prorſus amittunt venerem, & dignitatem. Quo enim pacto pronis auribus accipiantur ea, quæ aſpero, & incompoſito dicendi genere cruciant auditores? Quæ ſtomachum faciunt munditiarum, & elegantiæ ſtudioſis? Quo tandem modo non ſtomachetur quiſpiam, ac moleſtiſſimè ferat, ſi quis ei vel ſuaviſſimam potionem offerat bibendam, in impuro tamen vaſe, ac fæculentis ſordibus obducto? Nonne confeſtim reijciet poculum, atque averſabitur? non ne teter ille aſpectus ſqualoris, & ſordium non omnem modò gra-

tiſſimæ potioni adimet jucunditatem, verum etiam illius odium, atque horrorem concitaturus eſt? ità planè ſe ſe res habet, neque aliud herclè illiterati homines relaturi ſunt incuriæ ſuæ, ac ſocordiæ præmium, quàm auditorum faſtidium, atque contemptum, modo ne apud indoctos ſuique ſimiles verba faciant, quique haud unquam amœniora ſtudia deguſtarunt.

Hos in Scopulos incidunt, hanc dedecoris notam incurrunt, qui parum providè vitæ ſuæ rationem inſtituentes ea prætermiſerunt, quæ neceſſariò fuerant præparanda; ea parvi duxerunt, quæ licet non ſumma in laude ponenda videantur, ſummâ tamen curâ, ac diligentiâ digna ſunt; falsò ſcilicet illecti ſplendore gloriæ, & claritate cæterarum artium, haud quaquam interim animadvertentes non niſi certis conſcenſis gradibus ſe ad illud doctrinæ culmen evadere poſſe, illuc ſe ſe uno impetu, & ſaltu convolaturos ſperarunt. Illis equidem, reor, qui maturâ, ac affectâ jam ætate ſunt, neminem mederi poſſe, nec acceptum incommodum propulſare, modò ne importunum, ac duriſſimum laborem ſuſcipere velint. At vobis, Adoleſcentes ornatiſſimi, qui in juventutis robore, ac flore polletis ingenio, valetis memoriâ, abundatis otio, iſtud politioris doctrinæ ſpatium eſt decurrendum, cujus inſtitutionem perneceſſariam eſſe, ni fallor, intel-

tel-

tellexiſtis ad interiora diſciplinarum præcepta ex incorruptis fontibus haurienda, eaque luculenter, & graviter explicanda; tum etiam ne illa neſcire videamini, quæ à puero diſcenda ſunt. Neque porrò, mihi credite, hujuſcemodi operâ tempus contereтis; non illa veſtrorum animorum impetus, non progreſſuum celeritatem in liberalibus ſtudijs retardabit. Maturanda ſunt hæc, non properanda. Quid enim? poſtquam nimiâ feſtinatione ad metam uſque decurſum fuerit, ſi illud interea, quod ſtudiosè præmonui, peccatum ſit, irrito labore, atque incœpto, ad carceres erit regrediendum? An ſatius eſt omnia providere atque adminiſtrare, quæ uſui futura ſunt, in ijſque præſidijs comparandis tempus inſumere, quibus probè inſtructi, atque ornati ad Rempublicam ſapienter gerendam poſſitis accedere? nulla ſatis magna eſt temporis jactura, nullum ſatis laboris impendium, nulla rei familiaris diſpendia, queis tantum tamque præclarum commodum redimatur. Quid enim promovebunt illi, qui celerrimè peracto curriculo, adeptique Academici honoris præmium, & inſigne, haud tamen ſe interim neceſſario, & fructuoſiſſimo humaniorum artium inſtrumento locupletarint? multò planè ſerius, ac difficilius eorum forenſis opera ad hominum exiſtimationem dimanabit. Ita verò tandem intelligent, ſe præpropera illa cupi-

ditate parum admodum profeciſſe, ac lentè potius ſibi fuiſſe in ijs rebus feſtinandum. Ità rurſus ij, qui ſe diutius atque accuratius ad publicorum munerum functionem inſtruxerint, multò celerius operam abſolviſſe videbuntur. Hæc velim cum animo veſtro diligentiſſimè cogitetis, ut eam inſiſtatis viam, quæ vos ad ſummum doctrinæ, ac gloriæ faſtigium perductura eſt.

DE

DE HUMANIORUM LITTERARUM UTILITATE ORATIO VII.

Habita Nonis Novemb. anno M. DCC. XXV. In Aula Taurin. Lycei.

SI non adeò ruerent in præceps hominum judicia, neque tam devia optimis conſiliis aberrarent; multò hercle illi ſapientius conſulerent rebus ſuis, ac certam vitæ feliciter degendæ rationem aſſequerentur. Nunc autem & inſcitia, & inconſulta cupiditas tranverſos agunt, eâque detorquent viâ, quam ſe ex animi ſententia perſequi, & vehementer cupiunt, & confidentius arbitrantur. Neque verò id tam acerbè conquerendum foret, ſi tantum iis in rebus accidere conſueſſet, quæ fortunæ caſibus obnoxiæ incertam ac prope infinitam errorum varietatem habent; qui propterea nullo pacto, aut ægerrime proſpici, ac devitari queunt, etſi quàm poſſumus intentiſſimâ curâ, ac diligentiâ connitamur. At eandem prorſus, inſcitiamne dicam an cæcitatem, in eo genere verſari, quod totum ad ſcientiæ ingeniique cultum pertinet, in quo ſola mentis acies, & intelligentia, non fortunæ levitas

&

& inconſtantia dominatur; id vero penitus indignum deplorandumque videtur. Quis enim non vicem doleat illorum, qui veritatis & doctrinæ ſtudio inflammati, eos ſequuntur duces, eam ingrediuntur viam, quâ nolentes & improvidi ab inſtituto longius evagantur? Ecquid autem aliud, quamquam inſcienter, ac temerè, faciunt omnes propemodum hac ætate, qui neglecto aut potius contemto litterarum ornatu ad cæterarum rerum cognitionem, quarum tradita eſt diſciplina, animum adjiciunt? niſi videlicet ut ſeipſos in fraudem induant, eòque compellant, undè haud facilè poſſint exitum reperire. Hic autem porrò eliminandus eſt error, omnique avertendus induſtria in hac ſollemni ſtudiorum inſtauratione, licet ſæpè alias ea de re verba fecerim: neque enim ſatis quod noxium eſt vituperari, aut quod utile eſt ac frugiferum, commendari poteſt: efficiam tamen, ut orationis brevitate rei faſtidium ac ſatietatem vincam, & bonarum artium contemtores, ſi unquam fieri poterit, ab errore deducam.

Duo quippe hominum genera ſtudia hæc noſtra aut lubenti animo prætermittunt, aut deſpicatui habent atque ludibrio; quorum alteri laboris magnitudine deterrentur, alteri quod prorſus inania & infructuoſa judicent, aſpernantur. Utrique immeritò, utrique inconſultò faciunt, ac mirum quàm longè opi-

nione,

nione falluntur. Quas enim priores ſibi difficultates aſperitateſque confingunt, aut nullæ admodum ſunt, aut eæ demum ſunt, quæ nonniſi inertiſſimæ ſegnitiæ homines abſterrere poſſint. Ecquid enim uſpiam jucundius politioribus litteris? amœnius vetuſtatis cognitione? planius, ac facilius elegantiſſimorum ſcriptorum intelligentia? quorum nempè abditos doctrinæ theſauros aperit, & depromit græci, ac latini ſermonis ſcientia, anguſtis illa quidem finibus circumſcripta, ac breviſſimo temporis ſpatio comparanda. Quàm verò diverſus quàmque contrarius in reliquis inſtitutionibus & diſcendi labor, & laboris fructus! Nemo ſanè, nemo poterit ſermone complecti, quot illic obſcuritatum nubes, quot difficultatum ſcopuli, quàm diſſidentes auctorum loci, quàm inſociabiles pugnanteſque ſententiæ. Quid enim dicam immenſitatem rerum atque doctrinæ, infinitatem ſtudij ac diligentiæ, profectûs denique ac notitiæ jejunitatem poſt longiſſima temporum ſpatia pertinaciſſimo labore confecta? itaut tandem ij, qui diutius & operoſius elaborarint ut aliquid ſcirent, fateri cogantur ſe ſe id demum adeptos eſſe, ut aut nihil ſcire, aut dubitare didicerint. Tanta eſt diſciplinarum omnium arduitas & magnitudo! quibus tamen plurimos videmus, atque adeo illos ipſos, qui humaniorum artium laborem extimeſcunt, ſumma deditos

ani-

animi contentione, incredibili conſtantia, & firmitate, quum poſſit interea nullo negotio, earum nempe artium adjumento, prope intolerabilis ærumnæ longinquitas contrahi, & acerbitas allevari. Quantam enim litterarum cognitio reliquis omnibus lucem afferat, quantæ utilitatis fructum præbeat, & ſuperiore anno fuſius demonſtratum eſt, & vos, niſi me fallit animus, meminiſſe poteſtis, & nemo quidem eſt qui contra id auſit pernegare, niſi qui ſuam ſtultitiam ac temeritatem prodere non erubeſcat. Neque enim alius quiſpiam Græcas, Latinaſque litteras, & eloquentiæ ſtudia improbabit, quibus tot ſummi viri, quos & priſca & noſtra tulit ætas inſtructiſſimos ſe eſſe voluerunt, imò quibus tanquam gradibus, & adminiculis ad eam ſcientiæ, ac fortunæ altitudinem evaſere.

Ecquid igitur pleriſque in mentem venire pôtuit, ut aſperrimam viam, ſentibus & rubis obſitam, anfractibus & anguſtijs confragoſam, divortijs & ambagibus implicatam, itineris longitudine permoleſtam forti magnoque animo ingrederentur, omneſque obiter exorientes ſibi difficultates conſtantiſſimè tolerarent; breviſſimam operam ac diligentiam, qua iter illud planius & apertius fieret, quin etiam ſimplex & directum multoque contractius, reformidarent? At nonne ſatius eſt, longeque promptius ac paratius

tius naturæ ratione ea providere atque curare, quæ ad laborem levandum faciunt? qua in curatione exigua ſollicitudo, ac leviſſimum negotium eſt ſuſcipiendum. Quænam eſt hujus inertiæ ratio? quod deſidiæ propoſitum? gravioribus, ac diuturnis incommodis conflictari velle, levem curam, brevemque moleſtiam nolle ſuſcipere quâ illorum minuas gravitatem? inter tenebras & ambages fluctuantem aberrare, litterarum facem ac ductum extimeſcere? Quàm ſunt hæc ab omni ratione aliena? quam inepta, ſecumque pugnantia? Eorum quidem ego inertiæ conſulo, eorum ignaviæ deſidiæque proſpicio, qui laborem refugiunt, dum illis etiam atque etiam ſuadeo, ut jucundiſſima litterarum ſtudia ne averſentur, quibus celerrimè peractis, facillima & compendiaria ſternitur via ad plenam abſolutamque optimarum rerum inveſtigationem atque notitiam. O perverſam ſane hominum rationem! o alieniſſimas à veritate ſententias! ibi ærumnam ac laborem cernere ubi nullus eſt, ibi nullum cernere, ubi maximus, & inexhauſtus reperitur! At quis unquam in dubium revocavit, ſummam illa omnia habere facilitatem atque evidentiam, quæ certi ſermonis peritiâ, & rerum geſtarum monumentis circumſcripta ſunt? utpote quæ cunctis aperta, dilucida, ac explicata ſint, nec aliam omnino præterquam legendi operam

ram

ram, & reminiſcendi aſſiduitatem curamque deſiderant. Nihil igitur cauſſæ eſt, cur tantopere ab humanioribus ſtudijs abducant animum, qui falsâ cogitatione decepti longinquas & innumerabiles propè moleſtias comminiſcuntur.

Nunc autem orationem convertamus traducamuſque ad hujuſcemodi litterarum utilitatem, & copiam, ut illorum quoque redarguamus errorem qui ab earum cultu vehementer abhorrent, quod funditus ſteriles, infecundas, ac minimè quæſtuoſas arbitrentur. Privatum videlicet commodum, non ſcientiæ nobilitatem, quotidianum compendium atque divitias, non virtutis, & honeſtatis laudem, artium uſum ac neceſſitatem, non mentis expolitionem & ornatum reputantes, duas tantum inſtitutiones reliquis omnibus anteferendas ducunt, medendi ſcilicet ac litigandi, quibus herclè ſolis ſe ſe longe opulentiſſimos ac beatiſſimos fore perſuaſerunt. Hiſce etenim præſidijs alios vitam honorificè ſuſtentare, alios ampliſſimas fortunas adipiſci vident, non paucos ad magnas opes, ac dignitates emergere: at cæteras artes aut nullam, aut pertenuem gratiam referre cultoribus ſuis, ipſas autem hujuſce ætatis vitio ignobiles atque abjectas jacere, & in cœno paſſim ac pulvere volutari. Ita ex ingenuis liberalibuſque doctrinis illiberali ſordidoque conſilio mercaturam,

&

& quæſtum inſtituentes pulcherrima animi bona humi proſternunt & abijciunt, ijſque ad turpiſſimas cupiditates explendas, intemperantiam, ambitionem, avaritiam, abutuntur. Neminem profectò ex vobis eſſe arbitror, neminem ex hac honeſtiſſima juventute, qui velit ſibi omnium reginam rerum ſcientiam tam turpiter ſervire, ac lenocinari. Urget enim vos virtutis amor, inflammat veritatis deſiderium, incendit cognitionis pulchritudo ad conſuetas haſce ſtudiorum exercitationes, ut mentes veſtras errorum, & ignorantiæ ſordibus perpurgatas ſplendidiſſima doctrinarum ſuppellectile exornetis. At quàm fœda & indigna eſt illorum hominum cogitatio! quàm miſera & abjecta foret ſors ingenuarum artium! nonniſi ad infimæ ſortis homines, & cum inopia ægrè luctantes amandatas eſſe atque projectas! quum contra illæ ab omnibus, ac toto pectore colendæ, ac adamandæ ſint, quippe quæ omnibus ſint beneficæ, omnibus ſalutares. Colant eas obſcuri homines, ut generis ſordes ac tenebras doctrinæ luce colluſtrent; colant egeni, ut rei familiaris anguſtias ac tenuitatem amplificent; colant divites, ut ſciant copiarum & fortunæ abundantiam virtutis arbitrio moderari; colant nobiles, ut avitum ſplendorem augeant ſcientiæ claritate, neve illum ſinant vitæ luxu, atque maculis obſoleſcere. Nulla non ætas,

non temporis ratio ad tanti beneficij amplitudinem, ac utilitatem fruendam eſt opportuna.

At demus tandem ijs qui pervicaci animo reluctantur (neque enim facile hunc errorem ex eorum mentibus ereptum iri cenſeo) demus, inquam, & apertè fateamur in hoc toto genere priorem commodi, & quæſtus rationem eſſe ducendam. At ipſi contra fateri cogentur elegantiora ſtudia, non ſolum ſuis rationibus conſentanea, verum etiam modis omnibus quæſtuoſa; niſi velint carere omni laborum fructu, atque illâ ipsâ quam adeò vehementer appetunt, utilitate privari. Aut enim plenè, atque perfectè divites illas auriferaſque doctrinas eſſe percipiendas putant; aut rudes tantum & inchoatas per diverticula flexioneſque arripere conantur? Si hac quidem viâ ſibi faciendum iter arbitrantur, næ illi quàm longiſſimè ab animi ſui ſententiâ recedunt, & nunquam fortaſſis, aut certè ſerius ad metam perventuri devijs itineribus evagantur. Sin autem alteram ſibi,ut par eſt,ineundam cenſent,evidentiſſimè perſpicient ſe ſe omnino litterarum ſacris initiandos: haudquaquam enim locupletes illas & pecunioſas artes perdiſcere poterunt ſine ſcriptorum ac fontium, unde plenius hauriendæ ſunt, intelligentiâ; neque eos intelligere, niſi eorum ſermonem & ſcripta percalleant; neque hæc callere ſine

mul-

multiplicis litteraturæ doctrinâ. Hic itaque ſolus ac facillimus patet aditus ad felicem conſiliorum exitum, & opum illarum, munerum, dignitatum, gloriæ adeptionem; ille ipſe, quem malè ſibi conſulentes prætereunt, ac tanquam longiorem aſpernantur; quum tamen, proh pudor! tantum operæ ſumant ac diligentiæ in turbidis lacunis perluſtrandis, unde cœnum & ſordes haurire, non purum verioris & incorruptæ ſcientiæ laticem conſueverunt. Non niſi enim cultiorum artium & eloquentiæ adjumento ſapientiſſimorum hominum reperta, & acutè cogitata animo comprehendere, & comprehenſa alijs exponere & confirmare poſſumus, ut exoptatam diu ex earum rerum notitia, & explanatione gloriam ac utilitatem aucupemur.

Hæc fuit ſapientiæ ſtudioſorum ratio, hæc ſummorum virorum conſuetudo, qui non ſolum id ſunt aſſecuti, ut omni copiarum & honorum genere abundarent, verum etiam ut eorum nomen ad æternitatis memoriam propagaretur. Neque porrò illud ipſis fuit certum deliberatumque conſilium, ut eum ſolum è ſtudijs ſuis fructum caperent qui vitæ finibus & commodis terminaretur: pudet enim de tantis viris tam vilia, & abjecta ſuſpicari: Verum haud dubiè perſpiciebant illi ſordere artes ſuas, & obſoletiores eſſe niſi humanitatis elegantia cultuque niteſcerent: quapropter ſtudioſiſſimè ſcri-

ptionis ornatum, & ſermonis munditiam quæſierunt etiam ij, quorum inſtitutum fuit Philoſophiæ arcana in vulgus efferre; quæ quidem hac ætate niſi ſqualida, inculta, ac ſordidata ſit, exulare cogitur, & tanquam falſa, ac ementita, & præſtigiarum mater ejicitur. Et quidem Plato Philoſophorum Princeps adeo floruit dicendo, ut Jovem ipſum, ſi loqui vellet, ejus lingua locuturum opinarentur: Xenophontis autem ore muſas ipſas ferebant elocutas. Quin etiam ipſe Ariſtoteles aureum orationis flumen fundere eſt exiſtimatus, ac Theophraſtus ejus auditor ab eo nomen hujuſmodi nactus eſt, quod divinè loqui videretur. Quid autem Romanos commemorem, omnis ſimul doctrinæ, & quidem, quam iſti expetunt, ad rem augendam fructuoſæ, ac ſimul etiam literaturæ eloquentiæque Principes, quum ſatis vulgò noti in omnium oculis, animiſque verſentur? Quid? quod hæc ipſa ſtudia non ſolum intentiſſimè coluerunt, verum etiam alijs, ut eadem ſcienter commodèque tractarent, præcepta tradiderunt? Videmus enim graviter, copioſè, & emendatè loquendi rationem explanaſſe apud Græcos quidem Platonem, & Ariſtotelem, alioſque permultos, apud Latinos autem Tullium, Varronem, ac Cæſarem, qui omnes & ſcientiæ gloria, & fortunæ claritate, & rerum geſtarum magnitudine excelluerunt.

Illi

Illi ergo tantum induſtriæ ad hæc ſtudia illuſtranda contulerunt; nos inutilia & ſupervacua judicabimus? illi ſapientiæ laude præſtantes quam ſequeremur viam demonſtraverunt; nos ſapientiſſimum eorum judicium improbabimus? Num igitur hallucinata eſt eorum prudentia ac perſpicacia? num vicimus eorum ingenium atque ſollertiam, ut tantorum virorum ſententiæ refragari poſſimus? An potius reipſa & veritate cogente fatendum nobis erit, multò illos commodius, & ſapientius noſtris rationibus conſuluiſſe? quod quidem eorum conſilium, & naturæ ratio; & tot ſæculorum uſus atque experientia comprobavit. Illos enim plerumque videmus, & maximos feciſſe progreſſus in reliquis artibus, & immortale ſibi nomen pepe
riſſe, à quibus præclarè initio operis ſui jacta ſunt fundamenta litterarum, quorum ſanè potiſſima, & acerrima cura gerenda eſt, quum iis tota, ni fallor, ſtudiorum moles incumbat. Nam quis unquam peritus artifex omnem operam ſuam ac peritiam impendat in atriis, in parietibus, in conclavibus adornandis, fundamenta & ſubſtructiones negligat, quibus ipſa domus innititur? Ab his ergo initium ducendum eſt operis, in his acriter priùs elaborandum, ut cætera deinceps habeamus. Sic ad humanitatis ſtudia jam diligenter aſſiduèque tractata reliqua ordine ſunt adjungenda:

neque enim id ago, id ſuadeo, ut ætatem omnem in litterarum otio conteratis. Is demum inanis eſſet labor, ac infructuoſus, neque ad animum plenius excolendum, neque ad communem vitæ uſum, & civilem prudentiam accommodatus; tenuiſſima illinc victus præſidia, rara gloriæ, nulla virtutis. Ecquid enim operæ prætium foret, tam brevis ævi, quod victuri ſumus, majorem partem in ijs exercitationibus conſumere, neque ad negotia gerenda, neque ad fraudes vitandas, neque ad rempublicam adminiſtrandam, neque ad ſententiam de rebus gravioribus dicendam opportunis?

Non id quidem vobis propoſitum animo eſſe debet, neque id ego unquam vobis perſuadere conatus ſum, omni ope ac ſtudio anniſurus ut vos ab ea ratione deducerem, ſi quempiam viderem poëticis tantum delinimentis,aut veterum fabulis, ac verborũ aucupio contentum, adeo turpiter velle ſeipſum, & vitam hominum, quibuſcum ætas agitur, ignorare. Tractanda equidem fateor hæc omnia, ſcitu planè digna, ac neceſſaria, non omnem in ijs doctrinæ ſpem collocandam; gradus eſſe, non faſtigium quò pervenire contendimus; viam ac rationem perficiendi operis, non ejus ſummam & abſolutionem. Haud quaquam tamen prætermittenda vobis erunt, quum haud magnum laborem deſiderent, &

ma-

magno ſemper uſui futura ſint, ut ex veriſſimâ rectiſſimâque ſententiâ demonſtratum audiiſtis, quam vos prolixo ac libenti animo ſuſcepturos eſſe confido, ut veſtri conſilij & inſtituti ratio, optatæ progreſſionis ac fructus magnitudo, & veſtra, & patriæ utilitas, ac gloria poſtulare videtur.

DE PROGRESSU

Taurinenſis Academiæ.

ORATIO VIII.

Habita Nonis Novembribus
Anno M.DCC.XXVI.

NEmini mirum videatur pleroſque mortalium illud ipſum quod ſummopere cupiant è manibus dimittere, ſpemque omnem ſucceſſus deponere, ſi non adeò celeriter votorum aviditati fortuna reſpondeat, aut ſeriùs quàm exoptant reſponſuram arbitrentur. Tandem enim expectationis longinquitate defeſſi, nec deſiderij ſui exitum cum naturæ ordine, qui maturitatem quandā temporis & agendi poſtulat, metientes, ſuſcepta conſilia turpiter deſerunt, & inſtitutas optimè rationes abrumpunt: aut certè alios obfirmatius prioribus veſtigijs inſiſtentes irrident, & tanquam inani operâ ſe ſe fatigaturos commiſerantur, ipſi potius riſu, & miſeratione digni; quippe qui tam falsò de rebus humanis judicent, & inconſultæ cupiditati mentem tradant leviſſimis opinionibus imbuendam. Complures

itaque jam inde ab initio, quum Regijs auſpicijs & munificentiâ inſtauratum refloruit hoc Athenæum, ac reduces in hoc domicilium diſciplinæ omnes commigrarunt; etſi [quod reverâ putandum eſt] plurimum patriæ cuperent ac vellent, & ingentem ex ea re popularibus ſuis utilitatem exoptarent; quod eam tamen aut neutiquam, aut nimis ſerò, aut parum ex ſententia ſucceſſuram ſibi temerè perſuaſiſſent, quum rem tantam communibus ſtudijs adjuvare & amplificare deberent, contra illam funditus abolere, aut imminuere conati ſunt. At qui ſagacius futura proſpiciunt, & in optimis conſilijs perſeverant, uberem tandem fiduciæ, & conſtantiæ ſuæ fructum colligunt. Atque horum quidem probavit exitus præclaram de Regij operis eventu opinionem, & adverſam timidè, aut iniquè ſentientium refutavit: felicius enim omnia quam ſperabamus evenerunt, ac non contemnenda ad hanc diem emolumenta, quod ad doctrinæ cultum, & morum temperationem attinet, percepta ſunt; quæ ſanè temporis rerumque progreſſu multo cumulatius augenda proſpicimus. Iſtud quidem ego luculenter, ut confido, ſi qua in vobis erit ad me audiendum benignitas, commonſtrabo; ut pari omnes gaudio de tot tantiſque patriæ commodis, & pari alacritate ad egregium opus augendum & ornandum excitemini.

At

At verò quid demonſtrare laborem, quod vos ipſi optimè noſtis, & experientiâ ſæpè deprehendiſtis, & quotidiè novis indicijs inclareſcit? Monere vos dumtaxat neceſſarium duco, ut ea revocetis in memoriam, quæ pluries veſtris oculis obverſata ſunt. Vidiſtis hercle diſcendi cupidinem latius propagatam in florentiſſima juventute, cultiorum diſciplinarum ſtudia in dies augeſcere, eleganter ac ſubtiliter diſputandi rationem increbuiſſe, tantoque cum fructu hæc omnia altiſſimis jam actis radicibus in juvenum ſtudioſorum animis invaleſcere, ut ad perfectæ abſolutæque doctrinæ faſtigium propediem ſint perventura. Nuſquam enim profectò, niſi in hac Urbe poſt ingenuarum artium renovationem, tam multos conſpicati eſtis, publicâ diſputatione ſuſceptâ, de graviſſimis rebus adeo copiosè, & acutè diſſerere, adeo ſollerter adverſariorum argumenta diluere, adeo ſagaciter res involutas & obſcuras in bono lumine collocare, ut non tyrones, ſed emeritis diſciplinæ ſtipendijs, non auditores, ſed magiſtri, non præſcripti temporis ſtudiorum, ſed excellentis ac ſingularis ſcientiæ ſpecimen edidiſſe viderentur. Tale quidem veſtrum, quum audiretis, judicium fuit, tale etiam exterorum qui præſentes adfuerunt.

Quo autem tempore, aut loco tam ſæpe vidiſtis Adoleſcentes vix annuo exacto doctrinæ curriculo, nondum ſatis ætate matu-

ros

ros, doctrina ſubactos, uſu exercitatos, difficillimas Philoſophiæ quæſtiones tam dilucidè & perſpicaciter enodare, tam facundè ac ſolidè res à communi captu, & intelligentiâ remotas exponere, quaſi omnem prope ætatem in ea palæſtra contriviſſent, quodque alijs in locis vix continuato per totum triennium labore conſequi poſſunt? Hic nempe fructus eſt præſtantiſſimæ docendi rationis, perpetuæ exercitationis ingeniorum, aſſiduitatis ac diligentiæ ſapientiſſimorum hominum qui apud nos utiliſſimas tradunt diſciplinas, ita ut miro quodam modo cum temporis brevitate atque compendio progreſſus magnitudinem ſtabilitatemque conjungant. Nunquam hercle iſtud vel in hac Urbe ante hujus Athenæi inſtaurationem, vel alijs in Academijs factitatum reperiſtis. Vos autem teſtes appello, qui jam ſeniores & annis graves prioris Athenæi quod in hac Urbe floruit memoriam recordamini: vos etiam teſtes advoco, qui cæteras Italiæ regiones, aut peregrinas quoque & longius diſſitas peragraſtis; anne hæc ſtudiorum & doctrinæ miracula tam ſæpe atque vulgo ſe ſe veſtris oculis obtulerunt?

Si veſtram ego fidem & ingenuitatem ſatis perſpectam habeo, non equidem dubito vos apertè faſſuros, ac pro vobis ipſe affirmare auſim ſine ulla cunctatione, nunquam vos quidpiam ſimile vel fama & auditione

acce-

accepiſſe, vel oculis uſurpaſſe ſive hoc in loco ſuperiorum temporum memoriâ, ſive in diſſitis terrarum oris, & apud exteras nationes. Non eo dico, quo defuerint antea in hac Urbe, vel deſint alijs in regionibus ſimiles ingeniorum acies; quum ſibi perpetuò conſtans immutabiliſque natura eoſdem fere ſemper, & ubique terrarum partus effundat: ſed quod reverâ defuerit, aut deſit eadem moderationis forma, ſtudiorum ratio, exercitationis aſſiduitas, doctrinarum ſucceſſio, temporis præſcriptio, diſciplinæ ſeveritas, magiſtrorum diligentia, atque ſedulitas. Hæc nimirum jam ſatis probè à naturâ conſtituta alunt ingenia, fovent inſitum robur, augent fecunditatem, tanquam teneras adhuc plantas, in quibus egregij ſeminis innata virtus calore ſiderum, cœli ac ſoli temperatione, culturæ perſeverantia ac bonitate, multò uberius ſe ſe explicat, & meliores amplioreſque parit fructus, quam ſi omnia illa ſubſidia, quæ nativam augent feracitatem, penitus amoverentur.

Enimvero vel eximia indoles, & præclara virtutis ſemina, aut nullo, aut parùm apto tractata cultu funditus ſterileſcunt, aut herbeſcenti viriditate luxuriant. Illa autem naturalis ſollertiæ adjumenta præbuit vobis benigniſſimi Regis paternus amor, ac propenſio ad rem litterariam totis viribus promovendam, & ſapientiſſimorum virorum, qui-

bus

bus hujus Athenæi moderatio permiſſa e-
ſingularis perſpicacia, ac diligens cura inve-
ſtigandi optimas quaſque, ac breviſſimas vias juventutis erudiendæ. Unde eò loci jam rem adductam videmus atque ſuſpicimus, utiliſſimis legibus eo conſilio perlatis, & conſtitutis, ut hæc Academia cæteris quidem omnibus Italicis, ac plurimis etiam ultra montes ſitis exemplo eſſe queat, & verum doctrinæ atque adeo virtutis iter oſtendere.

Prudentiſſimè ſiquidem & pietati conſultum eſt, ut adoleſcentium ætas lubrica, & flexilis in vitium modeſtiæ ac temperantiæ repagulis coërcita cum optimarum rerum cognitione morum caſtitatem & vitæ innocentiam coleret, ac indita religionis ſemina virtutis cultu & exercitatione roboraret. Hinc tam mira juvenum, qui hac diſciplinâ informantur, integritas, moderatio, abſtinentia; nulla hîc diffidia, nulla jurgia, nullæ contentiones; omnia ſedata, remiſſiores animi, nulla facinora quæ aut ſocialem ipſorum vitam lædant, aut in publicum graſſentur. Abſunt helluationes, ganeæ, luſtra, cætera voluptatum lenocinia, pro quibus frugi & ſevera vita, diſtenta mens ſtudiis, ac diſtricta curis nobiliſſimarum artium, nulla ætatis vacatio atque deſidia. Conferte autem hanc juventutis inſtitutionem cum eâ quæ in alijs multis Academijs obſervatur, hanc bene moratam diſciplinam cum illa rerum omnium diſſolutione,

ne, noſtrorum adoleſcentium modeſtiam cum exterorum audacia, hanc pietatem cum illorum nequitia, hanc temperantiam cum illorum diſſolutis moribus, hanc quietem & tranquillitatem cum illorum turbis ac ſeditionibus, quæ ſæpe ad civilem uſque ſanguinem eruperunt.

Quanti autem hanc juventutis moderationem æſtimare debemus? Quanti otium, & vitiorum corruptelam, quibus ætas illa obnoxia eſt, è republica eliminatam? Quanti tot virtutes, tot doctrinarum lumina in ipſam invecta? Atque id demum non minis, aut vi, aut metu pœnarum. Id enimvero mirandum magis, ac magnopere prædicandum, quod multò emendatioribus noſtri moribus ac vitæ totius inſtituto videantur, quàm qui plurimorum auctoritate coërcentur, queis vulgus morum, & pietatis magiſterium attribuit, quos præclarè vivendi optimos artifices ac doctores putant, quique juventutem imperioſius refrenando, minaciter agendo, verberibus concidendo, eam ſeſe putant ſapienter effingere, & ad virtutem efficacius conformare. Verum, ut inquit Venuſinus Poëta, ... *tolle periclum*

Haud mora, proſiliet frenis natura remotis.

Non enim vera illa & ſincera virtus, ſed ſimulata quædam & ementita ſpecies ad decipiendos hominum oculos, & pericula pœnarum fugienda; quibus ſublatis ſtatim ad in-

genium reditur, & decora illa perſona è vultu detrahitur. Manet enim intus mens eadem, & radix vitiorum, cujus interea, niſi vera virtus evellerit, ſerpunt occultè exitiales fibræ, & latius propagantur. At nullæ apud nos comminationes, nulla terriculamenta: ipſa cognitio rerum pulcherrimarum tanta ſuavitate mentem allicit, & ad virtutem pertrahit, ut totam commutet interius, à libidinum peſtibus purget, & ſumma cum voluntate ad recti ac honeſti amorem à vitæ pravitate rapiat atque convertat. Hinc voluntaria illa morum integritas & gratuita, nullis terroribus aut præmij fructibus excitata, longè firmior, & conſtantior, imò firmiſſimis defixa radicibus perſeverat; quemadmodum illa quæ ſuis è ſeminibus ac ſtirpibus natura gignit, & educat, multò auctiora naſcuntur, ac firmius vigent, quàm quæ per vim ac præter naturalem ordinem inſeruntur, aut induſtriæ & artis operâ ſimulantur. Quid autem majus aut præſtantius è bonis artibus ſperari unquam poteſt? Quod aliud fuit eorum conſilium, votum, atque propoſitum, qui hæc literarum ſubſidia juventuti parata eſſe voluerunt? niſi videlicet, ut magna ſuppeterent inſtrumenta ad ſapientiam adipiſcendam, ut adjumenta pietatis eſſent vitæque integerrimæ, ut ampliſſimus inde virtutis & doctrinæ fructus in publicum redundaret.

HÆC ut videris emolumenta, maxima illa quidem omnium quæ quis animo concipere

poſſit, jam nobis abunde ſuppeditant, quæ tamen à multis vix antea ſperabantur; imo vero illorum magna deſparatio renaſcente hâc Academia plurimorum animos occupaverat, aut occupaſſe videbatur. Quum enim parum æquo animo, tanquam ſuis ipſi rationibus infenſi, cernerent reſtitutam; quod mente conceperant, & ſermone jactabant, parum nempe feliciter Regium hoc opus, omnique dignum admiratione ceſſurum, comprobandum exitu opinabantur. Si qui fortaſſis hac opinione fuerunt, quod planè refugit animus credere, ac nefas arbitror ſuſpicari, eos demum publicæ utilitatis incurioſos, aut parum acutos æſtimatores judicandos cenſeo, non qui noctu atque interdiu magno cum valetudinis diſpendio omnem operam, & diligentiam inſumunt in juventute ſapienter inſtituenda, in optimis quibuſque doctrinis explicandis, in pervulgatis erroribus refellendis: imo eos hercle veros cives, ac patriæ hujus amantes, & ſtudioſos ratio ipſa & veritas oſtendunt. Quem enim bonum civem appellare fas eſt? eum nempe qui patriæ quam incolit commodis ſerviat, totumque ſe reipublicæ tradat, etſi alio ſub cœlo natus, atque in ultimis terrarum oris; contra vero improbum, & noxium, qui non modo nihil quidquam eorum faciat, verum utilem, & opportunum patriæ civem inconſideratis obtemperans ſuſpicionibus inſe-

ctetur,

ſtetur, atque in ejus exitium omnes machinas, dolos, fallacias admoliatur.

Quod ſi tam brevi temporis intervallo tot tantorumque commodorum ſeges exorta eſt; hunc enim ſeptimum jam annum ingredimur, ex quo faventibus ſuperis reſtitutum eſt hoc Regium Athenæum: quantam putatis deinceps orituram, quum plenè rebus omnibus conſtitutis ſuos habebit numeros ac partes quibus abſolvi, ac perfici debet? quum certior vigebit doctrinarum ordo atque conſenſio, & firmior animorum in idem propoſitum conſpiratio atque concordia? Duplicabitur ſanè fructus, & gloria tam nobilis inſtituti, imo maximis auctibus creſcet; quod quidem brevi effectum ſumma cum lætitiâ cerneremus, ſi, qualis eſſe deberet, civium omnium voluntas ad communis utilitatis amplificationem conjunctiſſimè conſpiraret. At quoniam difficillimum videtur diſſimiles, & varias hominum mentes, & cogitationes in unum idemque conſilium cogere, id certè ſatis haberemus, ſi à conſuetâ obtrectatione deſiſterent, ſi non præſtantiſſimis rebus, & pulcherrimè conſtitutis obniterentur, nec fortiſſimorum civium, quique optimè in rempublicam animati ſunt, famam & exiſtimationem violarent. Sic namque animis omni ægritudine vacuis, & tranquillo fruentibus otio, multò alacrius, & magna cum voluptate ad ſtrenuam reipublicæ operam navandam om-

omnes incumberent, ubi nempe laudabiliter impenſos labores ac vigilias non invidiæ & maledicentiæ peſtis, ſed laudis & gloriæ fructus conſequeretur. Id quidem, A. O. confido propediem nos veſtra opera ac beneficio conſecuturos; id nobis veſtra humanitas, & ſapientia pollicentur. Eâ igitur, qua plurimum polletis, auctoritate atque facundia addite animos ac meliorem ſpem reliquis civibus, eoſque à veteri opinione deducite; ut jam perſpecta utilitate ac præſtantiâ hujus diſciplinæ, quâ juvenum mentes ac mores expoliuntur, & emendantur, linguis animiſque faveant hæc Muſarum ſacra tractantibus, multòque ampliora ſibi in poſterum polliceri audeant, & magna animorum propenſione ſapientiſſimi Regis conſilio atque votis, patriæ ſpei ac deſideriis, noſtris conatibus ac diligentiæ, juventutis alacritati ac ſtudiis obſecundent.

DE RECTO
STUDIORUM ORDINE
ORATIO IX.

Habita Nonis Novemb. anno M. DCC. XXVII. In Aula Taurinenſis Athenæi.

INtermiſſam ſtudiorum conſuetudinem repetentibus in hoc florentiſſimo doctrinarum omnium domicilio mos eſt ſollemnem adhiberi hortationem ad animorum ardorem excitandum, quaſi longioris otij, & vacationis dulcedine conſopitum; quod quidem mihi & ſapientiſſimè videtur inſtitutum, & nunquam felici exitu caruiſſe. Exarſit enim, magiſque exardeſcit in dies lectiſſimæ juventutis alacritas ad nobiliſſimas artes perdiſcendas, magnamque ex ea re utilitatem in publicum redundaſſe vidimus, & uberiorem adhuc redundaturam in poſterum ſperamus. Verum adhuc aliquid deſiderarem ad certiorem fructum ampliorem que progreſſum, rectum videlicet ordinē in ingenuis artibus excolendis; quem ſanè pluties ſuadere conatus ſum, ſed nondum potui perſuadere, prout rei magnitudo ac neceſſitas flagitabat. Id vero meæ tribuatur infantiæ, ac tenuitati in dicendo, quâ

ctum eſt ut rem tantam conſequi haud valuerim, etſi vehementer optarem, & mei eſſet muneris ac facultatis efficere. Quamvis enim multa dixerim de humaniorum litterarum neceſſitate, præſtantia, jucunditate, de arctiſſima Eloquentiæ ac Philoſophiæ cum Juris ſtudio conjunctione; plerique omnes hunc quidem mihi honorem tribuerunt, ut quæ dicta erant tanquam vera probaverint, tanquam concinnè & commodè dicta gratanter exceperint; ſed non hunc benignitati ſuæ cumulum, qui erat totius rei fructus, addiderunt, ut nempe reipsâ perficerent quod verbis faciendum adprobabant.

Unde nulla per hoſce annos infrequentior fuit diſciplina, quàm quæ Græcas Latinaſq; litteras, & eloquentiæ artem profitetur; nec quiſquam fortaſſe Philoſophicas commentationes ne primoribus quidem labijs attigiſſet, niſi prudentiſſimi Magiſtratus decreto, cui rei litterariæ moderatio à Sapientiſſimo Rege permiſſa eſt, ejus ſtudij neceſſitas fuiſſet injuncta, & ſpatium quoque temporis circumſcriptum. Urget nimirum animos lucri cupiditas, nec niſi ad quæſtuoſas artes impellit præcipiti quadam feſtinatione; quâ ſæpe fit, ut id ipſum quod magnopere expetebant, aut penitus amittant, aut exiguè admodum aſſequantur. Primâ enim tantum ſpecie ducti, nec ulterius rem inveſtigantes, haudquaquam vident, multò ſe opimiorem quæſtum

percepturos ex ijs artibus, quas eâ gratiâ ſolas amplexantur, ſi hunc quem dixi ordinem obſervarent.

Etſi autem toties infeliciter mihi ceſſerit opera animos ea de re perſuadere conanti, haud tamen deſperandum eſt id aliquando ſucceſſurum, ſi omnium mentibus tanquam verum demonſtrare potuero. Mens enim veritatis lumine colluſtrata animum regit, & contrarias cupiditates expugnat, ubi falſas opiniones, illarum matres, & altrices, evellerit. Hæc autem fallax multorum mentes pervaſit opinio, diſcretas omnes ſegregataſque à ſe mutuo eſſe doctrinas, nec quidquam inter illas neceſſitudinis intercedere: quapropter reliquis omnibus prætermiſſis ad eas ſolas animum adijciunt, unde ingens lucrum ſe ſe capturos opinantur. Hic autem ejiciendus eſt error, ac veritatis monſtranda veſtigia. Audite me igitur non tanquam Oratorem, cujuſmodi me nunquam fuiſſe profiteor, nec tanquam invitos ac reluctantes in meam ſententiam trahere aggredientem; quod quidem nemini unquam infelicius cecidiſſe, & caſurum eſſe intelligo; ſed tanquam vera, & perſpicua, & quæ ſuâ luce ſe prodant in medium afferentem, ac vobis ipſis judicibus explorantem ſtatuentemque illa, quæ in rem veſtram præſtantiora videantur, quæque vobis majori ſpe, certiore via, fecundiore exitu divitias & honores allatura ſint.

 Et

Et primò quidem à nemine in dubium vocari arbitror, neque vos puto diſſenſuros, ſi plenius ediſcantur artes illæ, quas ad rem familiarem augendam, & nomen illuſtrandum conducere exiſtimatis, multò certius, & facilius, immò,auſim dicere,nullâ aliâ ratione propoſitum obtineri poſſe. Non niſi enim cumulata ipſarum ſcientia quemquam ex obſcuro & infimo loco ad altiſſimos dignitatum gradus, ex anguſtijs rei domeſticæ ad ampliſſimas copias, ex everſa afflictaque fortunâ ad florentem ac ſplendidam conſuevit extollere. Quid enim cauſſæ eſt, cur inter tam multos, qui eandem vitæ & ſtudiorum rationem ingreſſi ſunt, oppidò pauci ad ſummas opes emerſerint; cæteri volvantur in cœno, aut paullo admodum ortus ſui conditionem tranſcenderint, & evolarint? niſi quod illi excellenti eruditione atque doctrinâ exiſtimationem vulgi, nobilium ac potentium virorum gratiam nanciſcuntur; hi vero mediocri cognitione præditi, intra vulgatos fines ſe continent, nec nominis ſui obſcuritatem vincunt. Ecquis enim ignobiles, abjectos, & contemtos artifices unquam arceſſit? Ecquis habet in pretio? Ecquis adeo imprudens ac vecors reperietur, ut vitæ, valetudinis, rerum ſuarum ſpem, curam, cuſtodiam imperito committat? Quis nempe navim gubernandam credit cuilibet nautæ? quis exercitum regendum tyroni militi? quis

quis Rempublicam, & ſummam Civitatis adoleſcentibus adminiſtrandam? Neminem herciè dicetis. Vobiſcum ſiquidem nunc unà diſquiro, quid vobis præſtantius ſit, quid fructuoſius inveniri poſſit. Sed ſingularem peritiam atque ſollertiam in ijs, qui artificium aliquod profitentur, omnes exquirere vos mecum affirmaturos ſcio.

Aſt eam nullo pacto conſequi, nulla ratione ſervare poſſumus, niſi rectè ac ordine doctrinas illas ingenuas percipiamus, quas opum, commodorum, dignitatum effectrices arbitramur. Sunt enim artes plurimæ ita inter ſe naturali quadam cognatione vinctæ, & colligatæ, uti una quæpiam ex illis ſæpe numero perdiſci nequeat ſine alterius notitiâ, cujus illa eget adminiculo, cujus luce alitur & ſuſtentatur. Quum namque ex varijs ſingulæ perceptis ac notionibus conflatæ ſint, quarum aliæ alias, non modo ſeipſas, verùm & multas aliarum artium naturæ ordine antecedunt aut conſequuntur; illæ profecto ſine iſtarum ope inacceſſæ ſunt humanæ intelligentiæ, ac veluti cæcis obductæ nubibus deliteſcunt. Quid enim quiſquam proficiat in Juris ſcientia ſine elegantioribus litteris, atque illis quoque Philoſophiæ partibus, quarum altera diſſerendi, & ratiocinandi viam, altera morum cognitionem, virtutum & vitiorum diſcrimina, juſti & injuſti notitiam tradit, in ſua genera ac formas diſtributam?

Quid porrò in Medicina, niſi veram Phyſiologiam funditus hauſerit, ac diligentiſſimè omni ex parte verſarit? Explorata jam ſunt iſta & vobis cognita, ſæpius ex hoc loco demonſtrata, nec vobis ullam dubitationem ſupereſſe habeo certè perſuaſum. Quàm longè itaque opinione falluntur, qui diverſas omnes, ſejunctaſque doctrinas putant! quandoquidem multæ in unum idemque corpus, quamquam ex alijs alijſque perceptis, ſed cunctis eòdem collimantibus, & in eundem exitum ſpectantibus coaleſcunt.

Hæc autem artium conjunctio, & quaſi in eundem conſenſum conſpiratio efficit, ut nemo quiſquam, ſi prudens ſit rerum æſtimator, unâ tantum contentus eſſe, nec ſi eam ſibi arripuiſſe videatur, eandem funditus didiciſſe, ac propterea ſibi placere & gloriari debeat; ſed conjunctas quoque, & pertinentes eòdem notiones haurire, veluti primos ac ingenuos fontes illarum, quas ſibi propoſuit ediſcendas. Neque id eâ ſolum de cauſsâ, videlicet ob cognitionum nexum, & arctiſſimam colligationem quam huc uſque vobis in memoriam revocavi; ſed quod ſæpe unius artis munus ſine alterius auxilio, quî cum nativam ac perpetuam habet neceſſitudinem, omnino nequeat expediri. Multa enim ſibi mutuò adjumenta, & ornamenta ſubminiſtrant, quibus ſublatis altera concidat neceſſe eſt, & quaſi ſuis nervis, & ſan-

guine

guine deſtituta langueat. Nimirum ea Juriſprudentiæ pars, quæ maximi quæſtus atque compendij eſt, quæque in agendis cauſſis elaborat, ſine dicendi facultate & copia, aut nihil quidquam, aut parum admodum promovere poſſit; modo ne quis tantum docere, aut de Jure conſultus reſpondere velit, quod quidem mediocre prorſus, neque id, quod expetimus, affert emolumentum.

At ſi quis in foro verſari, & ad judicum ſubſellia dicere inſtituerit, quod & præclarum orantibus nomen, & magnas opes parit ac luculentiſſimas dignitates, oportet ut omnibus ad dicendum artis præſidijs & doctrinâ & exercitatione inſtructus ſit. Eſt enim ſæpiſſimè cauſſa anceps & obſcuræ judicationis è ſuis tenebris evolvenda? eloquens ac diſertus evolvet. Sunt rationum momenta dilucidè, graviter, copioſè, & ad perſuadendum appoſitè explicanda? eloquens ac diſertus explicabit. Sunt multa ſimilium rerum & cauſſarum inductionibus, & exemplorum firmamentis comprobanda? Eloquens ac diſertus comprobabit. Quid autem horum efficere poterit indiſertus? nihil omnino. Quæ prima, poſtrema dicet, ac viciſſim; quæ perſpicua & illuſtria ſunt, ſuâ infantiâ penitus obſcurabit; quæ verò ex ſeipſis abſtruſa & involuta, denſiori caligine obvolvet; nihil denique eorum aſſequetur, quæ animo intenderat, & cauſſæ commodum po-

poſtulabat. Non igitur dumtaxat in agendo quid dicatur, ſed quo dicatur modo, potiſſimum eſt laborandum. Quàm ſæpe enim accidit, uti vel optima cauſſa, & firmiſſimis ſubnixa rationibus patroni infacundiâ ruat, & profligetur? Quid etiam cauſſæ eſſe putatis, cur ex pluribus, qui unum idemque argumentum oratione perſequuntur, alij propoſito cadant, & turpiter explodantur, alij crebris cum aſſenſionibus excipiantur, & in admirationem ſui rapiant auditores? niſi quod iſtos dicendi copia, perſpicuitas, ac venuſtas, illos contra jejunitas, perturbatio, atque ſatietas comitentur.

Longiſſimè autem à veritate, atque inſtituti ſui conſilio aberrare videntur, qui ſe dialecticis tantum inſtructos, ac diſputandi ſubtilitate, paratiſſimos putant ad dicendum de re qualibet in hominum coetibus, quaſi ubique locum habere poſſit contortula illa & aculeata diſſerendi ratio per anguſtas verborum comprehenſiones è tribus conſtitutas enunciationibus ſyllogiſmum efficientibus. Primum enim iſtud non animadvertunt, non illis loquendi, ſive argutandi formulis communis vitæ negotia peragi conſueſſe, non publicas conciones, non cauſſas, non judicia, non deliberationes in conſilijs, non legationum poſtulata, non pacis aut fœderum pactiones, non denique quidquid hortamur, dehortamur, oramus, gratulamur.

Sed

Sed omnia fuſiori ac libera oratione tractantur, non ad ſyllogiſmorum regulas exacta, ita ut hæc è ſentibus tandem, ac dumetis Lycei longius egreſſa in latiore campo exultare debeat, ac liberius ſpatiari. Quis enim res cujuſvis tandem generis, ſive ad doctrinam ſpectent, ſive ad privatas aut publicas utilitates, aut in frequentiſſimo conventu diſſerens, aut ſcripto poſteritati mandans, nudo argumentationum nexu & circuitione concludere conatus eſt? Deinde alterum illud non vident, obſcuriſſimam eſſe & anfractuoſam hanc diſputandi viam, non ad communem hominum intelligentiam, non ad multitudinis captum accommodatam, ac perſæpe longiſſimam ob ſupervacuas plurimas enunciationes quibus ternio ille conflandus eſt, quaſque facili negotio quivis vel tenui præditus ingenio ſupplere poſſit. Non enim illam voco orationis longitudinem, quam verborum numero, ac temporis ſpatio metimur, ſed quæ rerum non neceſſariarum multitudine onerat auditores. Haud tamen Dialecticis inſtitutionibus ad erudiendum ac formandum ingenium aptiſſimis carere debet adoleſcentia; neque eò noſtra ſpectat oratio: ſed accedat, inquam, oportet ars dicendi, quæ nuda illa & arida argumentorum oſſa carne conveſtiat, ſucco & ſanguine compleat, venuſto ac ſuavi colore inficiat, ut facilius animos audientium in aſſenſionem rapiat vehe-

mentis

mentis ſimul & ornatæ orationis quum viribus, tum illecebris captos ac ſuperatos.

Hæc igitur, Auditores, fructuoſiſſima ratio eſt tractandæ Juriſprudentiæ, ac cujuslibet diſciplinæ, quæ non in ſola veritatis contemplatione, ſed in rebus etiam agendis poſita eſt, & ad hominum vitam ſocietatemque dimanat. Certum nempe ordinem ac viam in bonis artibus cumulatè diſcendis duabus de cauſſis tenendum eſſe demonſtravi; primò quidem quod illarum multæ ſeorſim ac ſejunctæ conſiſtere nequeant, ſed affinium poſcant opem & ſocietatem: deinde quod earum munera & facultates ſine ſociarum adminiculo nequeant explicari, ac propterea nullus ex iis fructus colligi poſſit, qualem ſpe & cupiditate præcepimus.

At dicet quis, hoccine pacto inſtituis juventutem? hos adoleſcentibus admoves ſtimulos ad diſcendum? Tantine ſunt honores, commoda, divitiæ, fluxa & caduca fortunæ bona, quæ cuilibet vel immerenti, vel ſtulto ac improbo cæca illa & temeraria Diva largitur, ut nedum conferenda cum ſcientiæ, ac virtutis pulchritudine, ſed iſtis præferenda cenſeas? quippe qui has propter illa doceas expetenda. Indignum planè conſilium viro ſapienti, animo excelſo & generoſo, ac optimè à naturâ conſtituto! Ego quidem, A.O. ſi ejuſmodi eſſent homines quales eſſe deberent, ſi nihil niſi deſiderabile concupiſcerent,

ſi pulchrum & honeſtum, ut par eſt, dumtaxat expeterent, ſi virtutis faciem nullo obtectam involucro cernere poſſent; non alia ipſis incitamenta ad rerum optimarum ſtudia, haſce adhortationes adhibendas putarem, ut pulcherrimas doctrinas addiſcerent ad animum neceſſariis & præclaris cognitionibus imbuendum & exornandum, ad extrahendas radicitus vitiorum & errorum ſtirpes, ad reſtituendam menti illam ſcientiæ ac virtutis præſtantiam atque ſplendorem, in quo à ſummo numine condita fuerat, eamque ab hoc cœno ijſque ſordibus explicandam, in quas primi parentis labe detruſa eſt. At longè alia nunc eſt hominum mens, alius eſt habitus animorum; nonniſi propoſitis præmijs ad res honeſtas incitari ſolent, & quidem ijs quæ ad vitam commodè ac ſplendidè agendam plurimum adferant adjumenti, præſertim ſi res domi anguſta & perexigua eſt, ac vel generis humilitatem nobilitare cupiunt, vel avitam claritudinem ab oblivione ac tenebris vindicare. Cætera omnia frigent hortamenta, ſaltem apud pleroſque hominum qui nullum veræ laudis guſtum habent, nec mentem animumque à corporis contagione abſtractum ad nobiliſſimæ rei, ipſius ſcilicet honeſti, contemplationem ac deſiderium erexerunt.

Cæterum modò virtus, & virtutis inſtrumenta, eruditio nempe atque doctina, & bonarum artium ſtudia excolantur, non equidem

dem tam ſubtiliter ac religiosè diſpiciendum puto in tanta morum ubique corruptela, quo id conſilio, qua voluntate fiat, dummodo omnis hinc abſit nequitia, omnis improbitas, ac ne latum quidem unguem ab honeſtatis tramite declinetur. Nec porro adeo vituperandam cenſeo multorum voluntatem atque propoſitum, quo ſibi ex laudatiſſimis artibus vitę ſubſidia parare ſtatuerunt. Quid enim tam inſitum hominibus quàm egeſtatem fugere, plurimorum ſcelerum, & maleficiorum parentem? Quid tam juſtum, tamque conveniens liberalibus ingenijs, quàm vitam honorificè velle traducere? Quid tam forti magnoque animo conſentaneum, quàm ſe è prioris conditionis ſordibus eripere velle, & in aliquo honoris gradu collocare? Id communis omniū ratio, & natura proclamat, id in omnium animis altiſſimè impreſſum & conſignatum eſt. Atque id mehercule omnes peperit artes, omnia honeſta genuit aluitque ſtudia, quibus & doctrinam ac virtutem colimus, & vitam ac ſocietatem multis præſidijs inſtruximus; quæ quidem univerſa aut funditus interirent, aut neglecta jacerent. Iis autem ſublatis quàm inops ac miſeranda eſſet hominum vita? quantis in tenebris verſaretur? quantâ rerum omnium inopiâ, quarum uſus eſt ad præclarè vivendum, conflictaremur? Nec vacat ſanè univerſa oratione complecti; vos ipſi provi-

dere

dere ac luſtrare animo poteſtis, quæ inde conſecuturæ ſint ærumnæ, incommoda, detrimenta

Neminem igitur veſtrum lectiſſimi adoleſcentes, pœniteat inſtituti, eandem viam, quâ cœpiſtis, inſiſtite. Sed ea ratione inſiſtite quam veſtris commodis honorique proſpiciens indicavi, ut juſtiſſimis votis atque expectationi veſtræ certior eventus, nec adeo pendens à fortunæ caſibus reſponderet. Neque ulla exiſtimanda eſt temporis jactura, quod maximè exaudio, & à pluribus obtenditur, ſi paullo diutius vobis in ijs doctrinis immorandum eſt, quarum auxilium ad pecuniosas artes penitus ediſcendas advocare debetis. Poteſtne appellari jactura, quæ magno cum fenore vobis impenſam temporis, & pecuniæ, & diligentię redditura eſt? Poteſtne appellari jactura, ſi non eſtis aliter è veſtris laboribus uberem quæſtum diuturnumque capturi? O nimium temporis & pecuniæ parcos ac ſtudioſos, ubi non oportet, ubi damnoſa eſt parſimonia! Ubi vero diligenter & acerbè illorum ratio putanda eſt, ibi demum prodigos atque effuſos! Subducite quantum opus eſt, ac ſatis videtur, otij ludis, choreis, amoribus, convivijs, compotationibus, cæteriſque voluptatum oblectamentis, in quibus heu nimium otioſa juventus ætatis florem, adoleſcētiæ tempus ad bonas artes hauriendas, & ad inſequentis vitæ præſidia paranda opportuniſſimum collocare

ſolet

ſolet. Iis in rebus vos quam maximè tempori parcere vellem, ijs in rebus quantulæcumque moræ diſpendium intentiſſimâ curâ vitare jubeo, ijs in rebus annorum longinquitatem, & largiores ſumtus ſeveriſſimè computare, ac deflere debetis, eamque temporis & pecuniæ ſummam, ne vobis pereat, ad honeſtiſſima ſtudia tranſcribere. Ita nempe videbitis induſtriæ atque ingenij veſtri quàm ætatis curſum eſſe celeriorem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

Imprimatur,
Vic. Gen. S. Offic.
V. de AGUIRRE Reg. Adv. & St. Cenſor.
V. Comes de CASELETTIS pro Dom. Co. & Pr. Pr. RICCARDI. Mag. Cancel. Cuſt.

o-
n-
a-
a-
u-
&
e.
e-
a-

Google

Digitized by Google

Digitized by Google